IACOBI FRIDERICI
LVDOVICI, ICti,
VSVS PRACTICVS DISTINCTIONVM IVRIDICARVM
IVXTA
SERIEM DIGESTORVM
ADORNATVS.

IAM VERO

RECENSITVS, ILLVSTRATVS,
IN ARTICVLIS IVRIS SAXONICI
AD ORDINATIONEM PROCESSVS ELECT. SAXON.
RECOGNITAM ADCOMMODATVS, NOVIS DISTINCTIONIBVS AC QVAMPLVRIMIS PRACTICIS OBSERVATIONIBVS LOCVPLETATVS

A

IO. GERARDO SCHLITTIO, ICto.
POTENTISS. REGI BORVSS. A CONSIL. AVL. ET PROF. IVR. ORDINAR. IN REGIA FRIDERICIANA.

PARS III.

EDITIO VI.

AVCTIOR ET EMENDATIOR.

VSVS PRACTICI
DISTINCTIONVM IVRIDICARVM
PARS III.

LIBRI XXIIX. DIGESTORVM TIT. I.
Qui Teſtamenta facere poſſunt, & quemadmodum teſtamenta fiant.

DISTINCTIO I.
Inter Teſtamentum *publicum* & *priuatum*.

Vſus huius diſtinctionis melius cognoſci non poteſt, quam ſi requiſita teſtamentorum duplicia, *interna* ſcilicet & *exter-na*, ſpeciatim conſiderentur. Scilicet,

quantum ad requiſita interna attinet, *heredis inſtitutionem* præcipue, nulla omnino inter teſtamentum publicum & priuatum reperitur differentia. Vtrumque enim tanquam inofficioſum *A)* impugnari poteſt, ſi vel parentibus, vel liberis, vel fratribus etiam, ſi hisce turpis perſona præfertur, legitima portio honorabili inſtitutionis titulo non fuerit relicta. Vtrumque etiam teſtamentum per agnationem poſthumi, & per aliud poſterius teſtamentum, rumpitur: vtrumque per capitis diminutionem teſtatoris fit irritum: vtrumque deſtitutum redditur, ſi heres ſcriptus vel non vult, vel non poteſt adire hereditatem &c.

Quantum vero ſolennia externa concernit, teſtamentum publicum priuato multis paraſangis præferri meretur. Nec enim illud teſtium numerum deſiderat, & ſic nec eo-

A) Recte ſententiam mutauit AVCTOR *Doctr. Pand. tit. de inoff. teſtam. §. 10.* docens, teſtamentum eſſe *nullum*, ſi *liberis*, (vel *parentibus*, MANZ. *de Legitima Q. 13. n. 8.*) legitima *titulo inſtitutionis* non ſit relicta. Quod ad *fratres* vero perinde eſt, ſiue *inſtitutionis*, ſiue *alio quocunque titulo*, legitima relinquatur. AVCTOR *d. T. §. f.*

eorum ſubſcriptionem, aut ſubſignationem, aliaque omnia, quæ in teſtamentis priuatis exiguntur. Vnde cautelæ loco commendari ſolet, vt quis teſtamentum ſuum vel principi offerat, vel actis inſinuet, ſi ad miſeram illam & nimiam teſtamentorum priuatorum diligentiam adſtrictus eſſe nolit, *v. l. 88. ſ. vlt. ff. de Legat. 2.* Sic quoque teſtamenta iudicialia non opus habent recognitione, bene tamen priuata, ſi controuerſia eo nomine oriatur. Ceterum controuerſias, quæ & circa teſtamenta publica moueri ſolent, fuſe perſequitur & decidit Illuſtr. Dn. Stryk. *in tr. de Cautel. teſtam. cap. 8.* quas hic recenſere inſtituti noſtri non eſt.

DISTINCTIO II.

Inter Teſtamentum priuatum *ſcriptum* & *nuncupatiuum.*

Solennia hic fere ſunt eadem in vtroque teſtamento. Quicunque teſtis eſſe nequit in teſtamento ſcripto, ille nec in nuncupatiuo admittitur. Teſtamentum ſcriptum actu continuo fieri debet, nuncupatiuum non minus. Nulla ergo diuerſitas admitti poteſt, niſi quam ipſa rei natura ſuppeditat, id eſt, in teſtamento nuncupa-

tiuo non requiritur ſubſcriptio & ſubſignatio teſtium, quia ſcriptura ibi plane non adhibetur. Ex quo ſimul profluit, quod in eodem nuncupatiuo etiam literarum imperiti ad teſtimonium admittantur, quod in teſtamento ſcripto ſecus ſe habet. Poſſes & hoc addere, quod in teſtamento ſcripto teſtimonium ſit *nudæ ſolennitatis*, at vero in nuncupatiuo *& ſolennitatis & veritatis ſimul*, B) *v. cit. tr. de cautel. teſtam. c.* 15. *ſ.* 43.

Adducunt quidem nonnulli hanc differentiam, quod legatarius in teſtamento ſcripto teſtis eſſe poſſit, non autem in nuncupatiuo, ex ratione, quod hic audiat legatarius, ſibi quid legari, atque adeo teſtimoni-

B) Ex quo dimanat alia differentia, nimirum, quod in teſtamento ſcripto teſtes illo ſaltem tempore, *quo ad actum teſtandi adhibentur*, habiles eſſe oporteat, *L.* 22. §. 1. *ff. Qui teſtam. fac. poſſ.* ſecus in nuncupatiuo; heic enim *vtroque tempore*, & teſtamenti conditi, & iudicialis depoſitionis, habilitas teſtium requiritur, niſi inſtrumentum a Notario deſuper fuerit confectum. MANZIVS *de Teſtam. valid. & inualid. Tit.* 5. *Q.* 4. *n.* 47. *ſeqq. & Q.* 5. *n.* 3.

nium eius ob intereſſe, quod habet, reddatur ſuſpectum, vid. Duarenus *ad tit. ff. qui teſtam. fac. poſſ. ſub rubr. de teſtib. in teſtam. idon. verſ. quidam ex veteribus.* Curtius *Conſil. 178.* Verum enim vero cum *ſ. 11. I. de teſtam.* eos ſaltem a teſtimonio excludat, *qui iuris ſucceſſores ſunt*, & vero legatarius nec in ſcripto, nec in nuncupatiuo teſtamento, talis *iuris ſucceſſor* ſit, hinc ea differentia merito reiicitur, *v. d. tract. cap. 15. §. 48.*

Sed quid ſentiendum de famoſa illa controuerſia DD. quando quidem admittunt, quod *heredis inſtitutio relatiua* in teſtamento ſcripto fieri poſſit, non autem in nuncupatiuo? Sane, quod vrgent nonnulli, nuncupationem non eſſe, niſi nomen heredis clare exprimatur, & ad ſtabiliendam hanc ſententiam ſuam, *l. 29. C. de teſtam. l. 21. pr. ff. de teſtam.* nec non *Ordin. Notar. de A. 1512. Tit.* von Teſtamenten §. aber die Form &c. ibi: Daß der, ſo das Teſtament machen will, deſſen, oder deren, ſo Er zu Erben haben will, und denen Er etwas verſchaffen oder verlaſſen will, Nahmen, und was Er im Teſtament begriffen haben wolt, öffentlich und klärlich benenne &c. adducunt; id parum ponderis habere videtur, clara enim verba hic rem non conficiunt, ſed ad

mentem legum eſt reſpiciendum; iuxta hanc vero id quoque palam fieri dicitur, quod per relationem tale eſt; vnde & cum nobis faciunt Euerhardus *vol. 2. Conſil. 43. num. 5. & 6.* Cardin. de Luca *Theatr. verit. & iuſtit. Tr. 1. P. 1. Diſt. 1.* Brunnem. *ad l. 77. ff. de hered. inſtit. num. 1. ſeq.* C) Imo nec a nobis recedit Illuſtr. Stryk. *cit. tr. cap. 16. ſ. 25.* quamuis cum hic teſtetur, ſententiam contrariam communiorem eſſe atque receptiorem, ille, qui regulas prudentiæ ſequi vult, melius faciat, vt ab heredis inſtitutione relatiua in teſtamento nuncupatiuo abſtineat.

LIB.

C) Hæc controuerſia peculiarem disquiſitionem meretur, quam aliquando, DEO fauente, publicæ luci exponam, atque oſtendam, *negantem* ſententiam non ſolum in LL. fundatam, ſed & crebriori DD. calcuio corroboratam eſſe.

LIB. XXVIII. TIT. II. & V.

De Liberis & Poſthumis heredibus inſtituendis vel exheredandis.

&

De Heredibus inſtituendis.

DISTINCTIO I.

Inter Heredis Inſtitutionem *neceſſariam* & *voluntariam*.

Prior obtinet intuitu parentum, liberorum, nec non fratrum, *A)* eo caſu, ſi perſona turpis, aut leuis notæ macula laborans, ipſis in teſtamento præfertur. *l. 27. C. de inoff. teſtam.* *Poſterior* autem intuitu reliquorum cognatorum omnium, aliarumque perſonarum extranearum, ſiue

A) Legitimam *titulo inſtitutionis* hoc caſu fratribus non neceſſario relinquendam eſſe, paullo ante dictum *ad tit. præced. diſt. 1.*

ſiue amicitiam cum teſtatore coluerint, ſiue non.

Ex quo conſequitur, quod ſi quis parentes, liberos, vel fratres, in caſu adducto, heredes non inſtituat, quod, inquam, teſtamentum tunc corruat, iuxta diſpoſitionem *Nou. 115. c. 3. & 4.* quod tamen de neceſſaria inſtitutione quoad legitimam ſolum, intelligendum eſt, in reliquis enim bonis liberrima facultas enumeratis perſonis competit. E contrario, quamuis quidam ex cognatis reliquis maxima egeſtate laboret: quamuis item alius quiſpiam ſumma mihi beneficia exhibuerit, aut intimam mecum amicitiam coluerit, ius tamen impugnandi teſtamentum meum, in quo plane præteritus eſt, ipſi nullum competit. Propter ſolam enim amoris violationem, in foro humano actio non conceditur, ſed potius cuiusuis conſcientiæ hoc relinquitur.

NOVA DISTINCTIO.

Inter Exheredationem *mala mente* (propriam) & *bona mente* factam (impropriam ſeu abuſiuam.)

Illa ad diſpendium liberorum, *hæc* ad fauorem & commodum eorum ſpectat, *l. 18. ff. de*

ff. de Libb. & poſthum. l. 12. §. 2. l. 47. ff. de Bon. Libertor. e. g. ſi auus filium, ære alieno obrutum, vel patrimonium effundentem, exheredet, ac nepotes heredes ſcribat. Plura exempla cumulat B. STRYK. *Vſ. mod. ff. Tit. de Libb. & poſthum. inſtit. §. 9.*

Illa nonniſi ex cauſſis in *Nou. 115.* enarratis, locum habet, *hæc* etiam ex aliis cauſſis. DONELL. *enucl. lib. 6. cap. 12. lit. N.* ib. HILLIGER.

Illa nonniſi cauſſa diſerte adiecta, fieri poteſt, *Nou. 115. c. 6. hæc* ſine cauſſæ mentione, modo *ex coniecturis* de bona teſtatoris mente conſtet. FRANCISC. de BARRY *de Succeſſ. teſtat. ac inteſtat. Lib. 10. Tit. 2. n. 24.* RITTERSHVS. *Expoſit. Nouellar. part. 6. cap. 3. n. 22.*

Illa iure nouiſſimo haud quaquam locum habet in *poſthumis*, quum cauſſæ *Nou. 115.* recenſitæ ad illos minime quadrent, bene tamen *hæc.* CARDIN. MANTICA *de Coniectur. vlt. volunt. Lib. 4. Tit. 13. n. 15.*

Illa fit in perpetuum, *hæc* nonnunquam in perpetuum, nonnunquam ad certum tempus. de BARRY *d. Tit. 2. n. 24.*

Illa in dubio præſumitur, non *hæc.* MANTICA *d. Tit. 13. n. 17.* IO. a SANDE *Dec. Friſ. Lib. 4. Tit. 2. Def. 3.* Conf. LVCAS van de POLL. *de Exheredat. & Præterit. cap. 67.* &, qui

qui pleniſſime hoc argumentum excuſſit, HENR. LINCK. *Diſſ. de Exheredat. bona mente facta.*

LIB. XXVIII. TIT. III. & IV.

De Iniuſto, Rupto, Irrito facto Teſtamento.

&

De His, quæ in Teſtamentis delentur, inducuntur, vel inſcribuntur.

DISTINCTIO I.

Inter Teſtamentum *nullum, ruptum, irritum, deſtitutum,* & *inofficioſum.*

N*ullum* vocatur teſtamentum, quando ſtatim ab initio defectus aliquis adeſt, v. g. quod teſtes ſint inhabiles: quod actus extraneus interceſſerit: quod teſtator non gaudeat facultate teſtandi: quod non adſit legitima heredis inſtitutio, &c. dicitur alias quoque *iniuſtum* & *invalidum.*

Ruptum

Ruptum eſt, quando poſt actum teſtandi legitime celebratum, vel adnaſcitur poſthumus, cuius in teſtamento nulla facta eſt mentio, idque naturaliter, per generationem, aut ciuiliter, per adoptionem, &c. vel quando teſtator ex interuallo contrariam ſuam voluntatem *A)* in alio teſtamento, æque legitime condito, declarat. Poſſes hanc appellare ruptionem *ciuilem*, cui adhuc addenda ruptio *phyſica*, quando teſtator non quidem aliud teſtamentum condit, ſed tamen illud, quod ab initio confecerat, lacerat, cancellat, incidit, comburit, &c.

Irritum dicunt, quando teſtator capitis diminutionem patitur, libertatem, ius ciuitatis, aut familiæ, amittendo, ſeu, *quando impedimentum iuris ſuperuenit*, vt DD. loqui conſueuerunt. Impedimentum iuris enim nihil aliud eſt, quam amiſſio priſtini ſtatus ciuilis. Per *impedimentum* facti ergo, quod capitis diminutionem non inuoluit, non fit irritum teſtamentum, v. g. ſi teſtator poſtea prodigus, furioſus &c. euadat.

Deſtitutum fit teſtamentum, quando heres, in eo legitime inſtitutus, vel non poteſt, vel non vult adire hereditatem, quia ab

A) Vel etiam teſtamentum conditum *reuocat.* AVCTOR *Doctr. Pand. h. t. ſ.* 7.

ab aditione omnia dependent. Vnde vt hæc deſtitutio euitetur, teſtatores heredi ſcripto communiter alium ſubſtituere ſolent.

Inofficioſum denique eſt teſtamentum, ſi exheredatio vel non fit ob cauſam ingratitudinis talem, quæ in *Nou. 115.* exprimitur: vel quando illa teſtamento plane non eſt adiecta: vel denique eſt adiecta quidem, & ex *d. Nou.* deſumta, ſed tamen ab herede ſcripto probari nequit, id quod ex *cit. Nou. 115. c. 3. in f.* demonſtratur, verbis: *ſiue igitur omnes* &c. & verb. *ſi autem hæc obſeruata non fuerint* &c. vid. Huber. *Prælect. ad inſtit. tit. de exhered. liber. ſ. 13. & 14.* Diſſ. Struu. *S. I. C. Ex. 10. th. 15.* putans, quod eo caſu, *ſi cauſa plane non eſt adiecta*, teſtamentum pro nullo haberi debeat, cui tamen verba Nouellæ expreſſe refragantur. Tunc ergo ſolum nullitate laborat teſtamentum, *ſi liberi plane præteriti, aut non nominatim exheredati.* Quamuis vero Struuius ſuam opinionem communiter receptam eſſe dicat; nihilominus tamen ex adducto ipſius loco adparebit, quod propter multos diſſentientes, quos allegat, noſtra opinio ſit æque communis. *

* Mutaui ſententiam hanc quodammodo in *Doctr. ff. de inoff. teſtam. ſ. X. & XI.*

Iam

Iam ad vſum diſtinctionis accedimus. Scilicet teſtamentum, ſi *nullum* eſt, per querelam nullitatis *intra 30. annos* adhuc impugnari poteſt; ſed ſi *inofficioſum*, conceditur ſaltem *quinquennium*, *B) l. 8. ʃ. f. ff. de inoff. teſtam. l. pen. ʃ. 2. C. eod.*

Querela inofficioſi nondum inſtituta, aut præparata, *ad heredes non transmittitur, l. 34. & l. 36. C. eod.* ſi ſcilicet is, cui competit querela, moriatur, antequam heres ſcriptus hereditatem adiit. *C)* Aſt *querela nullitatis* etiam non præparata, *ad heredes indiſtincte transmittitur*, non minus ac alia remedia ciuilia, vid. Richter. *ad Auth. in Teſtament. num. 26. C. ad SC. Trebell.* B. Stryk. *de Cautel. teſtam. cap. 19. ʃ. 44.* Lauterbach. *Comp. iur. tit. de inoff. teſtam.*

B) A tempore *aditæ hereditatis, l. 36. ʃ. 2. C. de inoff. teſtam.* Excipe liberos *minorennes*, quibus & poſt maiorem ætatem querela integra eſt, *l. 2. C. In quib. cauſſ. in integr. reſtitut. neceſſ. non eſt.*

C) Olim querela non *præparata* ad nullos heredes transmittebatur, *l. 6. §. f. ff. de inoff. teſtam. l. 34. C. eod.* Iure *nouo* vero per *d. l. 34.* ad *deſcendentes* transmittitur, ſi exheredatus ante aditam hereditatem decedat. *l. 36. ʃ. 2. C. eod.* Conf. AVCTOR *Doctr. Pand. tit. de inoffic. teſtam. §. 12.*

teſtam. in f. confer. *tit. de inoff. teſtam. diſtinct. I.*

Teſtamento ab adſcendentibus & deſcendentibus *D)* per *querelam inofficioſi* reſciſſo, *legata nihilominus debentur*, & omnia reliqua capitula, v. g. tutoris datio, &c. ſubſiſtunt, *Nou. 115. c. 3.* Aſt, ſi per *querelam nullitatis* impugnatur, omnia corruunt, *E)* & ſic cum principali etiam acceſſoria. Quotiescunque enim ius vetus hac parte non reperitur mutatum, toties eidem merito inhæremus, cum exceptio firmet regulam in caſibus non exceptis.

Teſtamentum *ruptum*, *irritum*, & *deſtitutum*, vt per remedium aliquod impugnetur, opus non eſt, absque impugnatione enim vires ſuas iam amiſit. Et hic etiam deficiente iure correctorio recentiori, regulæ

D) Aliud de *fratribus* dicendum. Vid. ſupra. *Lib. 5. Tit. 2. Diſtinct. 3.*

E) Imo *diſtinguendum*, vtrum teſtamentum ideo nullum ſit, quod exheredatio *non rite* facta, quod adſcendentes vel deſcendentes *præteriti*, & *quod ad ſolam heredis inſtitutionem* corruit: an vero ideo, quod *circa ſolemnitates* quid neglectum, quod teſtator non habuerit *ius teſtandi*, cetera, & obtinet AVCTORIS ſententia. Dixi ſupra *Lib. 5. Tit. 2. ad Diſtinct. 1. lit. A.*

læ antea adductæ inhærendum, quod nempe deficiente heredis inſtitutione, ex tali teſtamento nec legata, nec fideicommiſſa debeantur. *F)* Equidem Lauterb. *Comp. iur. h. t.* exiſtimat, quod propter *Nou. 1.* hodie ex teſtamento *deſtituto* nihilominus legata ſoluenda ſint; *G)* Verum enim vero *d. Nou.* non loqui de teſtamento deſtituto, ſed de eo caſu, *ſi heres hereditatem iam adiit, & poſt aditionem legata exſoluere detrectat, H)* iam ab aliis demonſtra-

F) Exceptionem quod ad teſtamentum *ruptum* & *deſtitutum*, vid. apud AVCTOR. *Doctr. Pand. tit. de Iur. Codicillor.* §. 7.

G) Editiones *Compendii Lauterbachiani* heic admodum inter ſe diſcrepant. In antiquiſſima editione *de anno* 1679. *p. m.* 385. verba ita habent: *Nam ab aditione omnia pendent; qua non facta, nec legata debentur, niſi Cl. codicillaris adiecta: quod tamen IVRE NOVO SECVS EST. Nou. 1.* Contra in edit. *de anno* 1698. ita legitur: *quod NEC IVRE NOVO SECVS EST, vid. Nou. 1. c. 1.* quæ poſterior lectio vtique præferenda.

H) Quam ſententiam luculenter confirmant verba *d. Nou. 1. cap. 4.* ibi: *neceſſitatem imponentes omnino intra annum POST*

ſtratum eſt, B. Stryk. *de ſucceſſ. ab inteſt. Diſſ. 1. C. 1. ſ. 53. ſeq.* Imo ab ipſo Laurerbachio *in Diſp. de teſtamento deſtituto*, prout allegatur a Dn. Beyero *in Poſ. ff. h. t. circ. fin.*

DISTINCTIO II.

Inter Ruptionem *verbalem* & *realem.*

Terminos huius diſtinctionis iam ſub *diſt. præced.* explicauimus. Vſus vero, vt paucis dicamus, in eo conſiſtit, quod ruptio *verbalis* nuda non ſufficiat, *I)* ſed noua heredis inſtitutio cum omnibus ſuis ſolennitatibus accedere debeat, aut ad minimum lapſus decennii a tempore primi teſta-

ADITIONEM & legata ſolui, & quæ a teſtatore ſunt relicta, compleri, cetera.

I) Excipiunt nonnulli DD. teſtamentum *iudiciale*, quod hoc *ſola reuocatione in iudicio facta*, corruat, licet decennium non ſit elapſum. CARPZOV. *Ipr. for. p. 3. Conſt. 5. Def. 27. n. 2.* RICHRER. *p. 1. Dec. 54. n. 18.* Verum hæc ſententia dubia, quum LL. *generatim* ſtatuant, ſola reuocatione teſtamentum non corruere, citra lapſum decennii, a qua regula nusquam excipitur teſtamentum iudici oblatum. B. STRYK. *Caut. Teſtam. cap. 24. §. 38.*

teſtamenti, *K*) *v. l. 27. C. de teſtam.* Aſt ruptio *realis* nec nouam heredis inſtitutionem, nec ſolemnitates, nec temporis lapſum deſiderat, ſed ſtatim ſuum effectum habet. Et hoc eſt, quod dicunt DD. *facta potentius operari, quam verba.*

LIB. XXIIX. TIT. VI.

De Vulgari & Pupillari Subſtitutione.

DISTINCTIO I.

Inter Subſtitutionem *vulgarem* & *pupillarem.*

Differunt hæ duæ ſubſtitutionum ſpecies (1) *intuitu ipſius ſubſtituentis.* Vul-

K) Ratio cur hoc decennium non a tempore *factæ reuocationis*, ſed *conditi teſtamenti*, computandum, hæc eſt, quod olim teſtamentum *lapſu decennii* ſemper extingueretur, quod temperauit IVSTINIANVS *in d. l. 27.* vt non *ſolo temporis lapſu* amplius extingui, *ſed contraria voluntatis declaratio* adcedere debeat. Vid. B. STRYK. *Vſ. mod. ff. h. t. ſ. 7.*

Vulgariter quilibet ſubſtituere poteſt, qui teſtamentum condit; ſed pupillariter nonniſi pater, qui filium in ſua poteſtate adhuc habet.

(2) *Intuitu illius, cui ſubſtituitur.* Vulgaris fit heredi cuicunque; ſed pupillaris nonniſi liberis impuberibus, in patria poteſtate exiſtentibus.

(3) *Intuitu termini, ad quem ſubſtituitur.* Vulgaris ſtatim expirat, ſi heres inſtitutus hereditatem adiit, tunc enim heredes ab inteſtato plene ſunt excluſi, & ſic teſtator ſcopum ſuum aſſecutus eſt: at pupillaris durat vsque ad 14 annum, *A)* quamuis filius heres inſtitutus hereditatem reuera adierit, *B)* deinde tamen intra pubertatem deceſſerit, *v. ſ. 8. & 9. I. de pupillar. ſubſtit.*

DIST.

A) Quum vero in *L. A. qua ætate 5. ff. Qui teſtam. fac. poſſ.* reſpectu teſtamenti factionis, vltimus anni 14. dies *cæptus* habeatur pro *completo*, conſequens eſt, ſubſtitutionem pupillarem euaneſcere, ſimulac filius *vltimum anni 14. diem* adtigit. BACHOV. *ad ſ. ſ. I. de Pupill. ſubſtitut.*

B) Malim dicere: *Reuera heres extiterit*, in *ſuis* enim heredibus nulla *aditione* opus eſſe, conclamatum eſt.

DISTINCTIO II.

Inter Subſtitutionem *pupillarem* & *quaſi pupillarem*.

De *priori* iamdum conſtat ex modo dictis. *Poſterior*, quæ & *exemplaris C)* nec non *Iuſtinianea* vocari conſueuit, (ex ratione, quia ab Imp. Iuſtiniano, ad exemplum pupillaris, introducta fuit,) *non requirit patriam poteſtatem* in ſubſtituente, ſed matri quoque, & patri intuitu filii, iam emancipati, a legibus conceditur. *v. l.9.*

C) Cuius denominationis inconcinnitatem rectiſſime perſtringit DVAREN. *Diſpp. anniuerſ. Lib. 2. cap.* 7. Hoc pacto etenim peculium, quod ad exemplum caſtrenſis introductum, ac in *l. f. C. de inoff. teſtam.* quaſi caſtrenſe vocatur, peculium *exemplare:* actio quaſi ſeruiana, ad exemplum ſeruianæ introducta, actio *exemplaris:* quaſi vſusfructus, ad exemplum veri vſusfructus introductus, vſusfructus *exemplaris* dici poſſet, inuita tamen, niſi me omnia fallunt, Minerua. Adde, quod exemplar, vel exemplare, non illud dicatur, quod fit ad exemplum alicuius, ſed quod exemplum præbet ad imitandum. Vid. B. CELLARIVS *Theſaur. Fabr.* voc. *Exemplum.*

v. l. ibi: qui vel quæ. C. de impub. & aliis ſubſtit.

Deinde non fit propter ætatem impuberem, ſed *quemcunque alium defectum*, propter quem aliquis teſtari impeditur, v. g. furorem, prodigalitatem, &c.

In ſubſtitutione pupillari quilibet extraneus pro lubitu eligitur: aſt in quaſi pupillari ſubſtituendi ſunt (1) *liberorum furioſorum, &c. liberi*, & (2) his deficientibus, *eorum parentes, fratres atque ſorores, d. l. 9.*

DISTINCTIO III.

Inter Subſtitutionem *militarem* & *vulgarem*.

In *militari* non opus eſt, vt miles ſibi ipſi teſtamentum faciat, ſed hic ſubſtitutio abſque inſtitutione ſubſiſtit, quod in reliquis, imo in ipſa pupillari ſubſtitutione, ſecus eſt, *l. 2. ſ. 1. ff. h. t.*

Secundo, miles omni heredi in caſum, quo vtcunque defecerit, *D)* item liberis etiam

D) Non tantum in caſum *mortis*, ſed etiam in tempus *certum* ac *determinatum* hæc ſubſtitutio fieri poteſt, e. g. Titius ad *decem* annos heres eſto, poſtea Septicius heres eſto. *L. 41. pr. ff. de Teſtam. Mil.*

iam puberibus, quam diu hoc ipſi placet, *E)* ſubſtituere poteſt; *l. 8. C. de impub. & al. ſubſtit.* Sed ſubſtitutio vulgaris eousque ſaltem valet, *donec adita fuerit hereditas*, & pupillaris, *donec filius impubes pubertatem attigerit*, vid. Lauterbach. *ad h. t. in fin.* Et hinc eſſe puto, quod DD. communiter hanc ſubſtitutionis ſpeciem *priuilegiatam* appellare conſueuerint. vid. Struu. *S. I. C. Exerc. 33. theſ. 38.*

LIB. XXVIII. TIT. VII.

De Conditionibus Inſtitutionum.

Agendum ſub hoc titulo eſſet de differentia, tum inter ipſas conditionum

E) Vbi tamen diſtinguendum, vtrum filius *ante pubertatem*, an *poſt pubertatem*, decedat. *Illo* caſu ſubſtitutus *omnia* filii bona, vndecunque quæſita, capit, *hoc*, ea tantum, quæ *a patre profecta*, per *L. Centurio 15. ff. b. t.* Et hanc ſubſtitutionem *iure directo* valere, contra Carpzouium & Richterum rectiſ-

num diuerſas ſpecies, tum inter conditionem & diem, conditionem & modum, & ſic porro; verum quoniam infra *Lib. XXXV. Tit. I.* in materia legatorum adhuc alius titulus *de conditionibus & demonſtrationibus, & cauſis, & modis eorum &c.* occurrit, ſub quo hæc materia vberius tractari poteſt, quam ſub præſenti quidem; hinc eo reſeruabimus diſtinctiones huius tituli, earumque vſum practicum.

LIB. XXVIII. TIT. VIII.

De Iure Deliberandi.

DISTINCTIO I.

Inter *Inuentarium & iuratam Specificationem.*

De iure quidem Romano ad confectionem inuentarii plurimæ exigebantur ſolennitates, iuxta *l. f. C. de iur. delib.* v. g. vt inchoetur illud, intra primum menſem, & intra alios duos perficiatur,

ſime diſputat HAHN. *ad Weſenbec. h. t. n.* 7. Add. TABOR *de Subſtitution. cap. 5. §. 12.*

tur, aut quoad res, in remotioribus locis ſitas, intra annum: vt fiat in præſentia legatariorum, per edictum vocatorum: vt ſubſcribatur ab herede, vel ſi hic ſcribere neſciat, a notario, præfixo ſigno crucis, & quæ ſunt ſimilia. Verum enim vero poſtquam Meuius *P.2. Dec.356.* teſtatur, omnes illas ſollennitates in prouinciis noſtris ceſſare, hinc in eo ſaltem diuerſitas hodie ſeſe exerit inter *inuentarium* & *iuratam ſpecificationem*, quod *prius* a notario, adhibitis duobus teſtibus, conficiatur, & in inſtrumentum publicum redigatur, vbi regulariter etiam obſignatio bonorum *A)* in ipſo momento mortis defuncti, præmittenda eſt, vt præſumtio ſubtractionis bonorum excludatur; *poſterior* autem priuatim fiat ab ipſo herede, quæ eapropter quoque per iuramentum ſemper confirmari debet, cum tamen heres ad præſtandum ſuper legitimo inuentario iusiurandum, regulariter adigi nequeat, niſi veroſimiles defectus *B)* inuentarii adſint.

Meu.

A) Quæ non *iure ciuili*, ſed *moribus* introducta. DN. de BERGER *Oecon. Iur. Lib. 2. Tit. 4. ʃ. 50. Not. 5.*

B) e. g. ſi *obſignatio* rerum hereditariarum *plane non*, vel *nimis ſero* adceſſit. CARPZ. *Ipr. for. part. 3. Conſt. 33. def. 10.*

Meu. *P.4.deciſ.92.* Illuſtr. Dn. Stryk. *Cautel. Contract. Sect.3.cap.3.ʃ.3.*

Sed an iurata ſpecificatio eundem effectum producat, qui inuentario adſcribitur, palmaria forſan eſt quæſtio. In Saxonia hæc quæſtio ſine dubio affirmanda, *C)* quippe in qua heres, licet inuentarium non confecerit, tamen vltra vires hereditarias non tenetur, Land=R. *l. 1. art. 6.* Richter. *Deciſ. 60. num. vlt.* Struu. *Ex. 33. th. 57.* Carpzov. *P. 3. C. 33. Def. 18.* Sed extra Saxoniam vniuerſaliter id adſtrui non poteſt. Meuius enim *p.2. deciſ.96.* & *p.6. dec. 411.* iuratæ illi ſpecificationi non eum tribuit effectum, ne quis vltra vires hereditarias teneatur, ſed hunc ſaltem, vt notitia bonorum exinde deſumi poſſit. Ergo hic ad mores cuiusuis loci reſpiciendum, & cautius ſine dubio agit, qui inuentarium coram notario & teſtibus confici curat.

LIB.

C) Add. DECIS SAXON. 57. Vbi tamen notes, velim, illam inuentarii & iuratæ ſpecificationis æquiparationem quod ad heredem, neutiquam ad *tutores* promiſcue extendi debere. Dixi ſupra *Libr. 26. Tit. 4. ad Diſtinct. 1.*

Lib. XXXI. Tit. I.

De Teſtamento Militis.

DISTINCTIO I.

Inter Militem *in Acie, in Caſtris* & *in Hybernis* conſideratum.

Maximus huius diſtinctionis vſus deprehenditur in quæſtione: *an & in quantum miles ab obſeruatione ſolemnitatum ordinariarum in teſtamentis exemtus ſit?* Hinc enim deciſio, pro ratione triplicis illius conſiderationis, variat. Scilicet, ſi *in acie* deprehenditur miles, (quo refero etiam eos, qui vrbem obſeſſam vel defendunt, vel oppugnant) *tunc omnes omnino ſolemnitates ceſſant*, adeo vt etiam ſufficiat, licet literis, ſanguine rutilantibus, vel procumbens, nomen heredis in arena exarauerit, *v. l. 15. C. h. t.* nec opus eſt, vt duo teſtes ad hoc rogati fuerint a milite, ſed valet talis ſcriptura etiam absque omnibus teſtibus, modo de manu militis conſtet, aut, ſi teſtes ad eam probandam producuntur, fidem iam faciunt, quamuis ex improuiſo ſuperuenerint, & militem ſcribentem viderint. Nihil enim aliud hic requiritur, niſi vt de veritate conſtet, ad hanc vero demon-

monſtrandam nullis ſolennitatibus opus eſt.

Si *extra aciem in caſtris* inueniuntur milites, *duo teſtes* ſemper exiguntur, quamuis teſtamentum in ſcriptis conditum fuerit.

Denique, ſi *in hybernis* ſunt milites, tunc teſtaturis de ſolennitatibus iuris ciuilis *nihil remittitur*, prout hæc omnia videri poſſunt in *Conſt. Imper. de A. 1512.* von Notarien, *Tit.* von Teſtamenten, in qua conſtitutione Imperator ad ſequens fundamentum reſpexiſſe videtur: quod *quo propius eſt periculum, eo magis etiam remittantur ſolennitates*, & contra: *quo longius miles a periculo abeſt, eo magis ad ſolennitates obſeruandas adſtringatur.* conf. Carpz. *P. 3. C. 4. Def. 26.* Gail. 2. *obſ. 118.* Richter. *P. 1. Deciſ. 38. n. 10. ſeqq.*

LIB. XXIX. TIT. II.

De Adquirenda vel Omittenda Hereditate.

DISTINCTIO I.

Inter Heredes *neceſſarios, ſuos & neceſſarios*, & *voluntarios*.

Neceſſarii apud Romanos erant ſerui, qui hereditatem dominorum inuiti etiam

etiam neceſſario adire cogebantur, *A)* vt ipſorum nomine potius, quam defuncti teſtatoris, bona obærata deinde venderentur, nec defunctus iniuria afficeretur, *ſ. 1. I. quib. ex cauſ. manum. non. lic. ſ. 1. I. de hered. qual. & diff.*

Idem in *ſuis* quondam obtinebat, nam & hi, ſiue velint, ſiue nolint, tam ab inteſtato, quam ex teſtamento ex L. XII. Tabb. heredes erant, *ſ. 2. I. de hered. qual.* iuxta quem §. tamen prætor ipſis volentibus ius abſtinendi dedit.

Extranei ſeu *voluntarii* hic vocantur omnes, qui nec in dominica, nec in patria teſtatoris poteſtate, conſtituti fuerunt, §. 3. *I. d. t.* Vnde etiam filius emancipatus eorum nomine venit, quamuis in linea deſcendente deprehendatur.

Si

A) Seruus a domino heres ſcriptus *non adit* hereditatem, ſed *ipſa iuris poteſtate*, protinus a morte teſtatoris, heres eſt, id quod patet ex *l. 63. ff. h. t.* vbi ſeruus *furioſus* (qui ſane neutiquam adire poteſt) domino *neceſſarius* heres exiſtere dicitur, & ex *l. 57. ſ. f. ff. h. t.* vbi negatur ſeruo *facultas abſtinendi*, quæ ſane præponit *ipſo iure* heredem factum. BACHOV. VINN. LVDWELL. *ad d. ſ. 1. I. de Hered. qual. & differ.*

Si vſum diſtinctionis ſpectas, heredes *neceſſarii* apud nos, ceſſantibus ſeruis, non amplius dantur. Neque enim inter *ſuos* & *extraneos* hodie magna eſt differentia; quemadmodum enim hi hereditatem *repudiare*, ita illi ab eadem *abſtinere* poſſunt. Hoc ſaltem remanſit, quod in materia inofficioſi teſtamenti, liberi ſui querelam etiam non inchoatam, nec præparatam, in heredes quoscunque *B)* transmittant, quia eandem *ipſo iure* acquirunt, cum e contrario extranei deſcendentes dictam querelam in ſuos libe-

B) De hac adſertione dubito, quoniam *l. 34. C. de inoff. teſtam.* indiſcriminatim de *ſolis deſcendentibus* loquitur, ibi: *Iubemus in tali ſpecie eadem iura nepoti dari, quæ filius habebat: etſi præparatio facta non eſt ad inofficioſi querelam inſtituendam, tamen poſſe nepotem eandem cauſſam proponere.* Adde *l. 36. ſ. f. C. eod.* ibi: *Si deceſſerit filius, huiusmodi querelam (licet ſe non præparauerit) ad ſuam poſteritatem transmittet: ad extraneos vere heredes tunc tantummodo, quando antiquis libris inſertam faciet præparationem.* Conf. DONELL. *Enucl. Lib. 19. cap. 6. lit. I.* ibique HILLIGER. STRVV. *S. I. C. Exerc. X. th. 29.* LAVTERBACH. *Colleg. Theor. pract. Tit. de inoff. Teſtam. ſ. 23.*

liberos ſolummodo transmittere ſoleant, *v. ſupra tit. de rupt. irrit. fact. teſtam. Diſt. I.* Idem in transmiſſione iuris adeundae hereditatis. *C)*

LIB.

C) Duplex, quod ad liberos, eſt transmiſſio, altera ex *iure ſuitatis*, altera ex *iure ſanguinis*. Hæc competit *emancipatis*, reſpectu *patris*, *omnibus liberis*, reſpectu *matris*, in eo tamen differt a transmiſſione, quæ *ſuis* competit, quod *illi* ſaltem ad *deſcendentes*, *hi* vero ad *quoſcunque heredes* indifferenter hereditatem transmittant. Quum enim *ſui* nulla aditione opus habeant, ſed *ipſo iure* a tempore mortis patris, etiam ignorantes, heredes extitiſſe cenſeantur, *l. 8. C. de ſuis & legit. l. 19. §. 2. ff. de Pecul. caſtr.* hinc ante immixtionem decedentes, hereditatem, non vt *quærendam*, ſed vt iam *quæſitam* iure ciuili, ad quoſcunque heredes transmittunt, quoniam exiſtentia aditioni comparatur, vnde vt per hanc quæſita hereditas ad quoſcunque, ita & per illam transmittitur FRANZK. *Exerc. 6. Quæſt. 10. n. 9.*

LIB. XXIX. TIT. III.

Teſtamenta quemadmodum aperiantur, inſpiciantur, & deſcribantur.

DISTINCTIO I.

Inter Aperturam *ſimplicem* & *ſolennem*.

Simplex apertura eum in finem extraiudicialiter, in præſentia tamen honeſtorum virorum, ſuſcipitur, vt cognoſcatur, quis ſit heres, & per conſequens ad quemnam cura funeris ſpectet, nec non quomodo ipſa ſepultura ſit perficienda, de hoc enim teſtatores plerumque ſpecialem diſpoſitionem teſtamentis ſuis inſerere ſolent. Hac apertura facta, tabulæ iterum obſignandæ ad futuram aperturam ſolennem.

Fit autem *ſolennis* coram iudice, *A)* citatis teſtibus, ad recognoſcendam manum &

A) Num *competente?* Ita quidem cenſet STRVV. *Iuriſpr. R. G. for. Lib. 2. Tit. 23. §. 5.* ſed rectius calculos ponit SCHILTER. *Prax.*

& ſigilla ſua, nec non heredibus, & omnibus, quorum intereſt, vt in horum præſentia recognitio ſuſcipiatur, *v. l. 45. ſqq. ff. b. t.* Carpz. *P. 3. C. 5. Def. 24. & 25.*

Talis ſolennis apertura apud nos admodum rara eſt, & ſic quoque exiguus huius diſtinctionis vſus remanet.

Idem dicendum eſt de diſtinctione altera, inter *aperturam* & *publicationem*, ſiue relationem ad archiuum, quæ in teſtamento, priuata fide facto, requirebatur, vt tale teſtamentum pro inſtrumento publico nunc reputaretur, Lauterbach. *Comp. iur. b. t.* Hodie enim, quia teſtamenta vel in ipſis iudiciis ſtatim inſinuantur, vel tamen coram notario & teſtibus conficiuntur, publica fide iam pollent, nec tali publicatione opus habent. Quod ſi quis per publicationem nudam prælectionem intelligere vellet, prout alias accipitur illud vocabulum, v. g. in publicatione ſententiæ, rotuli teſtium, *B)* &c.

Prax. Iur. Rom. Exerc. 38. ſ. 172. quod hic actus, vtpote voluntariæ Ictionis, etiam coram *incompetente* iudice explicari poſſit.

B) Prælectio rotuli neque *neceſſaria*, neque *praxi conſona*, ſed iudex in termino partibus ſaltem indicat: Es werde der Rotulus hiemit publiciret, und ſtehe beyden Par-

&c. tunc quidem concedendum eſſet, eam adhuc hodie eſſe neceſſariam, ſed tamen hoc pacto alius dicto vocabulo ſenſus affingeretur, quam ex præſenti titulo illi competit; conf. Carpz. *d. Def. 25*.

LIB. XXIX. TIT. VII.

De Iure Codicillorum.

DISTINCTIO I.

Inter *Teſtamentum* & *Codicillum*.

Differentia non exigua tam intuitu ſubſtantialium *internorum*, quam *externorum*, ſeſe hic exſerit.

Quoad *interna*. In codicillo non habet locum *heredis inſtitutio directa*, nec hereditatis ademtio, nec ſubſtitutio, nec heredi, iam ante in teſtamento pure inſtituto, conditio adſcribi poteſt, *A*) hoc enim reuera

theyen frey, copiam davon zu nehmen. MARTIN. *ad Ord. proc. Saxon. Tit. 29. Rubr. n. 13.* Conſent. AVCTOR Einleit. zum *Ciuil*-Proceß *cap. 16. §. 4. ſeq.*

A) Pariter nec *conditio* in teſtamento adiecta, codicillis *detrahi* poteſt, quum hoc caſu

uera nouam inuolueret heredis inſtitutionem, &c. *ſ. 2. I. de Codicill.* Hæc omnia autem in teſtamento quin fieri poſſint, nemo eſt, qui dubitat.

Quoad *externa.* In codicillis *quinque* ſaltem *teſtes* requiruntur, *l. f. ſ. vlt. C. de Codicill.* in teſtamentis vero *ſeptem.*

In codicillis non opus eſt *rogatione ſolenni*, *d. l. f.* bene tamen in teſtamentis.

In codicillis etiam *mulieres* admittuntur ad teſtimonium ferendum, non tam ex legum diſpoſitione, *B)* (argumentum enim, quod

caſu in defectum conditionis detur hereditas, quæ prius non erat data. REVSNER. *de Iur. Codicill. cap. 7. n. 24.*

B) Etſi apertus textus, qui hanc ſententiam firmet, haud occurrat, ſat tamen opinor, analogia iuris eandem tuetur. Quod enim a teſtimonii dictione mulier *in teſtamento ſollemni* arceatur, facit diſerta L. prohibitio, qualis, quod ad codicillum, nusquam extat. Deinde, ſi rationem veſtiges, cur mulier in teſtamento ſollemni teſtis eſſe nequeat, vniuerſa terſiorum interpretum cohors hanc tibi ſuggeret, quod mulier neque *comitiis intereſſe*, neque *in procinctu adparere*, neque *in mancipatione per æs & libram facta*, interuenire potuerit; quæ vero ad codicillos

quod communiter ex *l. 1. pr. ff. de teſtib.* & ex *l. 20. ſ. 6. ff. qui teſtam. fac. poſſ.* deſumere ſolent, nullatenus quadrat, atque adeo a denegata teſtimonii dictione in teſtamento, ad codicillum N. V. C. Nec quidquam huic ſententiæ detrahit BACHOV. *ad Treutler. Vol. 2. Diſp. 10. th. 4. lit. F.* philoſophia, *quod codicilli a teſtamento numero ſaltem teſtium, non qualitate & ſexu, diſtinguantur, & quod, quotiescunque Lex certum numerum teſtium deſiderat ad aliquem actum, toties maſculos interuenire oporteat, ſiquidem mulieres non ſint teſtes omni exceptione maiores*, quum hæc omnia τὸ ἐν ἀρχῇ petant. Et mirari profecto ſubit, ICtum ſubtilis ceteroquin ingenii, eo delabi, vt *l. 12. ff. de teſt.* parum ſubtiliter de ſolis maſculis interpretetur. Multo minus eandem infringit opinio BEYERI *in Poſit. ad ff. tit. de Iure Codicillor. in not. lit. E.* teſtes ideo in codicillis requiri maſculos, *quod quinque claſſes ciuium Romanorum repræſentent*, quum minus adcurate a teſtamento ad codicillum argumentum heic ducatur; vt taceamus, neceſſitatem teſtium adhibendorum, non mox tempore Auguſti, ſed multo poſt a CONSTANTINO, vel, vt alii malunt, a CONSTANTIO in *l. 1. Cod. Theod. de Teſtam. &* codi-

lent, parum ſtringere videtur,) quam recepta DD. opinione; ſed in teſtamento nullo

codicill. introductam fuiſſe, vid. Ill. BÖHMER. *Diſp. de Codicill. ſine teſtib. valid. cap.* 1. §. 24. quem hoc ipſo ad vetus illud Seruii Tullii inſtitutum animum retuliſſe, coniectura eſt admodum debilis, præter Beyerum, a nemine interpretum, quantum mihi quidem conſtat, hucvsque defenſa. Denique ſententiam noſtram haud euertit illud VINNII *ad* §. 6. *I. de Teſtam. ordin.* argumentum, quod teſtes in codicillis ſollemnitatis gratia adhibeantur, atque adeo maſculi tantum interuenire debeant. Reſp. non ſollemnitatis, ſed *probationis* cauſſa teſtes adhiberi, inde patet, partim, quod *nulla ſollemnitas ordinationis* in codicillis requiratur, *ſ. f. I. b. t.* partim, quod nulla *rogatione* & *ſubſignatione* teſtium heic opus ſit. Bene CVIACIVS *ad African. Tract.* 2. *ad L.* 15. *ff. h. t. Tom.* 2. *p.* 387. *Teſtes*, inquit, *non pono in ſolennibus, alioquin omnes actus teſtium adhibitio faceret ſolennes.* Et licet *ad probandum* alias *duo* teſtes ſufficiant, neminem tamen fugit, interdum LL. duobus teſtibus non eſſe contentas, ſed tres, vel plures, requirere, cuius rei exempla proſtant in *L.* 18. *C. de Teſtib. L.* 11. *C.*

lo modo *C)* mulieris teſtimonium admittitur.

In codicillis *legatarii teſtes eſſe non posſunt*, quia principale negotium ad illos pertinet; in teſtamentis utique poſſunt, ob rationem illam ceſſantem, conf. §. *11. l. de Teſtam. ordinand. iunct. ff. præc. 10. eod.*

In codicillis non requiritur *ſubſignatio teſtium*, *v. d. l. f. §. f. inf. C. de Codicill.* bene autem in teſtamentis, vbi ſola ſubſcriptio neutiquam ſufficit.

Addi poſſunt *D)* & ſequentia: Poteſt quis *cum duobus Codicillis decedere*, §. 3. *l. de Codi-*

Qui pot. in pign. Nou. 1. c. 2. ſſ. 1. Nou. 73. cap. 1.

C) Intelligendum hoc de teſtamento *ſollemni*, aliud in *minus ſollemnibus*, excepto teſtamento *ruſticorum*. Dixi *ſupr. Lib. 1. Tit. 5. ad Diſtinct. 1.*

D) Ego addo, 1) quod in teſtamento, ſi illud non ſit *holographum*, abſolute teſtatoris requiratur ſubſcriptio, vel, ſi litteras ignoret, aut alia de cauſſa ſcribere nequeat, octauus teſtis adhibendus, qui pro eo ſubſcribat *l. 21. pr. l. 28. ſſ. 1. C. de Teſtam.* quod ſecus ſe habet in Codicillis, quos nec a patrefamil. ſcribi, nec ſubſcribi, nec ſignari, neceſſe eſt. *l. 6. ſſ. 1. ff. h. t.* 2) quod *agnatione poſthumi* rumpatur

Codicill. (modo non ſint ſibi inuicem contrarii, tunc enim poſteriores ſolum valent, *l. 3. C. eod.*) ſed duo teſtamenta non ſubſiſtunt, *E)* neque ex ſingulis hereditas pro dimidia parte acquiritur. Scilicet duo vniuerſalia absque contradictione non ſubſiſtunt, bene tamen duo particularia.

Codicilli *nuda voluntate contraria* reuocantur, *v. pr. I. de adem. legat.* & ne quidem quinque teſtes requiruntur, ſed duo ſufficiunt, Illuſtr. Stryk. *in not. ad Lauterbach. h. t. verb. V. teſtibus.* aſt vero teſtamenta per nudam contrariam voluntatem non tolluntur, ſed per nouam demum heredis inſtitutionem, aut per lapſum decennii poſt confectum prius teſtamentum, *l. 27. C. de teſtam.*

patur teſtamentum, neutiquam vero codicillus, *L. 3. ∬. 1. L. 16. ff. h. t.* Ratio *differentiæ*, quod codicillis hereditas non adimatur poſthumo, vti teſtamento, ſed is potius aperte heres ſtatuatur, quum ab eo fideicommiſſum, vel legatum, tanquam ab herede præſtetur. DONELL. *Comment. iur. Ciuil. Lib. 7. cap. 19. lit. I.*

E) Niſi teſtator fuerit *miles. l. 30. ff. de Teſtam. milit.* Aliam exceptionem *de iure prætorio* habet AVCTOR. *Doctr. Pand. Tit. de Bon. Poſſ. ſec. tabb. ∬. 3.*

ſtam. v. *Doctr. ff. tit. de iniuſt. rupt.* ***irrit.*** *fact. teſt. ſ. VII.*

Olim quoque in codicillis *tutor dari non poterat*, *l. 3. pr. ff. de teſtam. tutel.* bene tamen in teſtamento, & hinc ſi in codicillis datus erat, confirmari debebat; ſed cum hodie, prout ſupra dictum, teſtamentarii etiam confirmatione magiſtratus indigeant, hinc illa diuerſitas non amplius attendenda erit. *F)*

Lib. XXX XXXI. XXXII.

De Legatis & Fideicommiſſis.

DISTINCTIO I.

Inter *Legata* & *Fideicommiſſa vniuerſalia.*

Poſtquam hodie legata & fideicommiſſa *particularia* in omnibus ſibi exæqua-

F) Tu confer not. ſupr. *Lib. 26. Tit. 1. ad Diſtinct. 2.*

quata, *A)* *v. l. 2. C. commun. de legat.* hinc ſaltem de vſu diſtinctionis inter fideicommiſſa vniuerſalia & legata agendum erit

Illud autem exigui momenti eſt, quod legata *per modum praecepti*, (vel legis, v. Vlpian. *fragm. tit. 24. §. 1.*) fideicommiſſa vniuerſalia autem *per modum rogationis* fiant; nam & in particularibus fideicommiſſis alter rogatur, & tamen haec rogatio propterea peculiarem aliquem effectum non producit.

Ergo illud praecipue obſeruandum, quod in fideicommiſſarium *onera hereditaria pro rata transferantur*, *ſ. 7. I. de fideicommiſſ. hered.* non vero in legatarium *B)* quia

A) Quaedam tamen adhuc remanſere differentiae, quas ſcilicet vel *rei qualitas*, vel *voluntas teſtatoris*, inducit. Sic multum intereſt, vtrum teſtator ſeruo proprio *directam*, an vero *fideicommiſſariam* libertatem reliquerit, *§. 2. I. de ſing. reb. per fideicommiſſ. relict.* Sic ſeruo *alieno* libertas non *directa*, ſed ſaltem *fideicommiſſaria* relinqui poteſt. *d. ſ. 2.* Sic intereſt, vtrum genus *per modum legati* an *fideicommiſſi*, relictum, quum in illo electio penes *legatarium*, *§. 22. I. de legat.* in hoc vero penes *heredem* ſit.

B) Exceptio eſt in *legatario partiario*, h. e.

quia legatum ſine omni onere eſt, *l. 36. ff. de legat. 2. ibi: eſt donatio.* Et ſic fideicommiſſarius *iuris* ſucceſſor dici poteſt, non autem legatarius.

Legatarius *non poteſt cogere heredem*, vt inuitus adeat hereditatem, (v. quae ſupra in materia de teſtamento deſtituto diximus) ſed hoc fideicommiſſario permittitur in *d. ſ. 7. I. de fideicomm. hered.* adeo, vt tunc fiduciarius quartam ſuam detrahere nequeat, ſed quemadmodum nullum damnum vlterius ex hereditate eiusque occaſione ſentit: ita quoque nullum commodum praetendere poſſit.

Denique fideicommiſſario quarta *Trebellianica*, legatario autem *Falcidia* detrahitur, inter quae duo quid interſit, infra ſuo loco dicetur.

DIST.

cui pars hereditatis legatur, qui & ad onera hereditaria tenetur, *l. 8. ſ. 5. ff. de leg. 2. l. 22. §. 5. ff. Ad SCt. Trebell.* vi ſtipulationis, quae inter heredem ſcriptum & hunc legatarium, ſuper lucro & damno interponitur. *ſ. 5. I. de Fideicommiſſ. Heredit.* Add. CLAVD. CHIFLET. *de Iur. Fideicommiſſor. Lib. 2. cap. 4.*

DISTINCTIO II.

Inter Fructus futuros *reſtrictiue* & *demonſtratiue* legatos.

Tota res, quantum quidem ad conceptum rite de hac diſtinctione formandum attinet, eo recurrit, vt videamus, vtrum teſtator *fructum legatorum in vna propoſitione*, & *fundi*, ex quo illi deſumendi, *in altera ſeparatim* mentionem iniecerit, an vero & fructus & fundum *in vna propoſitione coniunxerit*. Priori caſu, v. g. ſi dixerit: *Titio do lego centum amphoras vini, quas ex vinea mea habebit*, fundus *demonſtratiue* adiectus eſſe dicitur; poſteriori autem, ſi verba ita concepta: *Titio ex vinea mea centum amphoras vini do lego*, adiectio fundi *reſtrictiue* facta eſt.

Vſus in eo conſiſtit, quod illo caſu, ſi fundus *demonſtrationis* gratia ſaltem adiectus fuit, quantitas legata nihilominus debeatur, quamuis in fundo adiecto ne minimum quidem natum fuerit, *l. 12. ff. de alim. legat.* quilibet enim videt, quod quia teſtator ab initio ſimpliciter dixerat: *Titio do lego centum amphoras vini*, quod, inquam, deinde demonſtrationem in fauorem legatarii adiecerit, vt eo citius quantitatem legatam ex certo aliquo fundo conſequi poſſet, quis vero hoc, ſi ibi nihil natum, contra inten-

tionem teſtatoris in legatarii odium detorquere vellet?

Aliud, ſi fundus *reſtrictiue* adiectus, tunc enim teſtator præſtationem legatæ quantitatis ad certum fundum reſtrinxit, & ſic, ſi nihil naſcitur, nihil etiam debetur: ſin parum naſcitur, parum etiam conſequitur legatarius, *l. 8. §. 2. ff. de legat. 2.*

Adhuc alius ſuppetit vſus. Quando enim fundus *reſtrictiue* (ſiue *taxatiue*) adiectus, legatarius fundum illum tacite obligatum habet, ſecus ſi demonſtratiue, vbi iure perſonali ſaltem gaudet, ſed tamen in concurſu creditorum in quarta claſſe locatur, & ſic omnibus chirographariis anteponitur. Quamuis vero hæc aſſertio, quantum quidem mihi conſtat, ex textibus iuris non ita clare probetur, vſu tamen, vt dicunt, ſeruatur, de quo vid. Brunn. *Proc. Conc. Cred. Cap. 5. §. 51. num. 8.* & *§. 62.*

DISTINCTIO III.

Inter Ius accreſcendi *Heredibus* & *Legatariis* competens.

Quam maxime differunt hæ duæ ſpecies. Scilicet *heredibus* ius accreſcendi *ſimpliciter* & *ſemper* competit, *immediate ex legis diſpoſitione*, C) idque ex ea ratione, quo-

C) Vnde dimanant aliæ differentiæ, 1) quod be-

quoniam alias portio deficientis heredis ad heredes ab inteſtato deuolueretur, quod tamen impingeret in famoſam illam *l. 7. ff. de R. I. D)* Ex quo ſimul obiter notari poteſt, ſubſtitutionem breuiloquam, de qua loquitur Tribonianus in §. *1. I. de vulg. ſubſt. ibi: vel inuicem ipſi, qui heredes inſtituti ſunt,*

heredibus portio deficientis adcreſcat etiam *inuitis*, legatariis vero *non niſi volentibus*, ſi *a diſiunctis*, ſeu *re coniunctis* diſceſſeris, *L. vn. §. 10. ſeq. C. de Caduc. toll.* DVAREN. *de iur. accreſc. Lib. 2. cap. 1.* 2) quod Ius adcreſcendi *inter legatarios* (verbis aut mixtim coniunctos) a teſtatore *probiberi* poſſit, neutiquam vero *inter heredes*, quum teſtator non poſſit facere, ne LL. in teſtamento ſuo locum habeant, *L. 55. ff. de Leg. 1.* PEREZ. *ad C. Tit. de Caduc. toll. n. 26.*

D) Duplex tamen exceptio heic notanda, 1) quod ad teſtamentum *militare*, 2) quod ad teſtamentum *ad pias cauſſas;* quum enim *in vtroque* teſtator pro parte teſtatus pro parte inteſtatus decedere poſſit, conſequens eſt, *in vtroque* ceſſare ius adcreſcendi. *L. 6. 37. ff. de Teſtam. mil.* CARD. MANTICA *de Coniectur. vlt. volunt. Lib. 6. Tit. 1. n. 16.* REVSNER. *de Iur. Teſtam. Vol. 2. part. 4. cap. 12. n. 14.* STRYK. *ad Brunnem. Ius Eccleſ. Lib. 2. cap. 12. ſ. 2.*

ſunt, hodie plane eſſe otioſam atque fruſtraneam, *E)* & illis ſaltem temporibus vſum aliquem præſtitiſſe, vbi per legem Papiam Caducariam portio deficiens, ſine tali ſubſtitutione, ad fiſcum deferebatur, conf. *l. vn. C. de caduc. tollend. ibique Gotbofred. in not.*

Quantum vero ad *legatarios* attinet, illis ius accreſcendi non competit, niſi *coniuncti* ſint intuitu vnius eiusdemque rei, & ipſis partes *reales* adſcriptæ non fuerint. Ergo coniuncti non ſunt, ſi Titio ædes, & Meuio centum legantur. Nec coniuncti cenſentur, ſi Titio pars fundi, quæ flumini, & Meuio eiusdem pars altera, quæ viæ proxima,

E) Hoc ego generatim adſerere nolim. Finge, plures a teſtatore ex *partibus disparibus* eſſe heredes ſcriptos, e. g. Titium in *ſemiſſe*, Meuium in *triente*, Lucium in *ſextante*, heic *deficiente Titio*, partem deficientis coheredes iure adcreſcendi non *æqualiter*, ſed *pro rata portione*, capiunt, vi *ſubſtitutionis reciprocæ* autem illam *æquis partibus* capere poſſunt, ſi teſtator hoc expreſſit, h. e. ſi vel *expreſſis verbis* dixit, quod ſubſtituti *æquas partes* capere debeant, vel ſi *expreſſis nominibus propriis*, ſubſtitutio facta. vid. *l. 24. ff. de V. & P. S. l. 23. ff. Ad SCt. Trebell. l. 124. ff. de leg. 1.*

xima, eſt relicta, conf. *l. 1. pr. ff. de vſufr. accreſc.* Quod autem in legatariis talis coniunctio neceſſario requiratur, exinde prouenit, quia ratio, ante adducta, ex *l. 7. ff. de R. I.* ad legata applicari nequit, id eſt, quamuis vnus ex legatariis vel non poſſit, vel non velit rem, ſibi legatam, acceptare, illa tamen nihilominus ad heredes ab inteſtato non ſtatim deuoluitur, ſed heredi in teſtamento ſcripto cedit. Interim, quod diuerſæ coniunctionum ſint ſpecies, de eo nunc vlterius disquirendum erit.

DISTINCTIO IV.


Inter Coniunctionem *realem*, *verbalem*, & *mixtam*.

Realis eſt, quando duo legatarii *in duabus propoſitionibus* deprehenduntur, ad eandem tamen rem concurrunt, v. g. *Titio do lego ædes meas, Caio do lego ædes mea* Hi ita denotantur O. O.

Verbalis dicitur, quando illi duo legarii *in vna propoſitione* coniunguntur, adiecta voce: *æquis partibus*, F) v. g. *Seio & Mevio*

F) Melius: *cum expreſſione partium* vt enim *æquas partes* accipiant, neceſſe non eſt,

do lego ædes meas æquis partibus. Indicantur hoc modo O—O

Mixtam appellant, quando itidem collegatarii in vna propoſitione coniunguntur, ita tamen, vt verba: *æquis partibus, non ſint adiecta*, v. g. *Modeſtino & Paulo do lego ædes meas. v. l. 89. ff. de legat. 3. l. 142. ff. de V. S.* Denotantur ita: 

Quid ergo, *ſi omnes illi ſex legatarii legatas ædes acceptarent*, quæritur, quot earum partes conſtituantur? Ad numerum perſonarum hic reſpici non poteſt, alias enim ſex fierent portiones, ſed ita formanda eſt regula: *quot ſunt propoſitiones, tot fiunt portiones.* Sed vero quatuor ſolummodo propoſitiones adſunt, ergo etiam plures portiones conſtitui nequeunt. Ergo *Titius* primam, *Caius* ſecundam, *Seius & Meuius* tertiam, *Modeſtinus & Paulus* quartam portionem conſequuntur.

Quid vero, *ſi vnus ex illis ſex legatariis deficiat*, quæritur, cuinam deficientis llius portio accreſcat? Tota res ex hoc ındamento decidenda eſt, vt ad coniunctionem ciuilem, quæ inter legatarios intercedit, reſpiciamus, quorundam enim intui-

ıſt, ſed poteſt teſtator alteri *vnam*, alteri *duas tertias* adſignare. add. AVCTOR *Doctr. Pand. h. t. §. 12.*

intuitu illa arctior eſt, aliorum reſpectu autem laxior. Ergo *ſi re coniunctus deficit*, illius portio vacans omnibus reliquis accreſcit, quia ſcilicet re coniunctus cum nemine in eadem propoſitione deprehenditur, & ſic omnes ipſi æque proximi ſunt. Portio vacans iterum iuxta regulam prius adductam, diuiditur, vt tot fiant ſubportiones, quot ſunt propoſitiones.

Quod *ſi vero verbis aut mixtim coniunctus deficit*, ipſius portio non reliquis omnibus adcreſcit, ſed ei ſolummodo, qui in eadem propoſitione, per copulam ET coniunctus deprehenditur, hic enim reliquis proximior eſt, v. Lauterbach. *Comp. iur. h. t.* Præ aliis autem hanc materiam perſpicue propoſuit Struu. *Iurispr. Rom. Germ. for. lib. 2. Tit. 23. aphor. 19.* add. Iulius Pacius *in anal. inſt. ad §. 8. L. de legat.* Scio equidem nonnullos hic ſcrupulos mouere, dum re coniunctis non ius *accreſcendi*, ſed ius *non decreſcendi G)* tribuunt, & quæ

G) Ob hanc rationem, quod re coniunctis ſingulis *ſolidum* ab initio adſignatum fuerit, & nonniſi *per concurſum* partes habeant; vnde deficiente vno ex legatariis, alter, qui legatum adnouit, totum habebit, non iure adcreſcendi, quod partem vacantem præponit, (quæ heic nulla) ſed

quæ ſunt eiusmodi ſubtilitates aliæ; ſed in verbis ſimus faciles, modo in re conueniamus. Dubiis etiam, quæ adferri poſ-

quod per alterius concurſum non fuerit diminutum. At enimuero vt taceam, loquutionem illam: *ius non decreſcendi*, auctoritate iuris deſtitui, recte adſeritur, etiam inter *re coniunctos* ius adcreſcendi locum habere, quoniam collegatarius deficiente altero, *plus quam in concurſu habuiſſet*, adipiſcitur; qui vero *ſolus* retinet, quod cum alio *partiri* debuiſſet, numquid is incrementum ſentire negabitur? vid. FRANZK. *Exerc.7.Q.3.* TREVTLER. *Vol.2.Diſp.13.th.3.ib.* BACHOV. Et fruſtra aduerſarii vrgent verba Imp. in *l.vn.ſ.11.C. de Caduc. toll.* ibi: *Nec aliis adcreſcit, vt eius, qui primus accepit legatum augere videatur: ſed apud ipſum, qui habet, ſolida remaneat, nullius concurſu deminuta.* Eodem modo enim VALENS in *l. 10. ff. de leg. 3.* reſpondet, non minui legatum in coniunctis *re & verbis* ſimul, in quibus tamen nemo dixerit ius non decreſcendi locum habere. Add. TIMÆ. FABER *ad I. Diſp. 20. th. 9.* Ceterum rectiſſime RIEMER. *de Iur. adcreſcend. cap.13. n. 3. Miror ego*, inquit, *tantos huc vsque viros in putida illa logomachia tempus terere potuiſſe.*

poſſent contra hanc noſtram doctrinam, facile ex fundamentis adductis reſponderi potuerit.

Quæritur autem vltimo loco: *Vtrum ille, cui adcreſcit portio deficientis, huius etiam onus in ſe recipere*, (id eſt, conditionem, huic adſcriptam, expectare, vel legatum ipſi impoſitum præſtare,) *teneatur?* Reſponſio ex regula ante adducta deſumitur. Si deficit *verbis* aut *mixtim* coniunctus, collegatarius onus ſine dubio agnoſcere *H)* tenetur, quia eſt in eadem propoſitione, ſecus autem in *re coniuncto* deficiente, *v. l. vn. §. 11. C. de caduc. toll.*

H) Notandæ tamen exceptiones, 1) ſi pars illius, qui tempore conditi teſtamenti *incapax* erat, ad coniunctum deuoluatur, *l. vn. ſ. 3. de Caduc. toll.* Quum enim hoc legatum *ab initio* non valuerit, & perinde habendum ſit, *ac ſi non ſcriptum* eſſet, idem de *onere* adiecto dicendum. DVAREN. *de Iure adcreſc. Lib. 2. cap. 2.* 2) Si onus ſit *perſonale*, h. e. quod ad certam perſonam reſpicit, nec per alium explicari poteſt, e. g. vxorem ducere, quod deficiente legatario, cui idem iniunctum, euaneſcit. *d. l. vn. ſ. 9.* ib. BRVNNEM. *n. 44. ſeq.*

LIB. XXXIII. TIT. V.

De Optione vel Electione legata.

NOVA DISTINCTIO.

Inter Optionem *ipſi legatario* & *tertio* conceſſam.

Priori caſu, e. g. ſi teſtator dixerit: Caio do, lego equum, *quem optauerit*, legatarius *optimum* eligere poteſt, *l. 2. pr. ff. h. t. l. 9. ſ. 1. ff. de Dol. mal. poſteriori*, e. g. ſi ſcriptum ſit: Caio do, lego equum, *quem Titius optauerit*, ſubdiſtinguendum, vtrum Titius optare velit, & itidem *optimum* eligere poteſt, an vero intra annum optare nolit, vel morte interceptus, optare non poſſit, & ius optandi ad legatarium quidem deuoluitur, ita tamen, vt non optimum, ſed *mediæ exiſtimationis* equum eligere poſſit, quoniam heic optio *a Lege* defertur. *l. 37. ff. de leg. 1. l. 3. ſ. 1. C. Commun. de Legat.* ib. BRVNN. *n. 6.*

De Inſtructo vel Inſtrumento Legato.

DISTINCTIO I.

Inter Fundum *Inſtructum* & *cum inſtrumento* legatum.

Fundus *cum inſtrumento* legatus nihil amplius inuoluit, quam vt legatarius ea ſimul cum fundo conſequatur, quæ fructuum quærendorum conſeruandorumque cauſa comparata ſunt, *l. 8. & l. 12. ff. h. t.* Germanice poſſes vocare die Hoffwehr, vel iuxta ſtylum aliorum locorum, die Beſatzung. *A)* Fundus *inſtructus* autem plus comprehendit, nempe ea, quæ paterfam. vſus & ornamenti gratia ibi habuit, v. g. den Haußrath, die Mobilien, quo & veſtes pertinent, & bibliotheca, & id genus alia, non vero, quæ cuſtodiæ ſaltem

A) Vel: das Vieh- und Feld-Inuentarium.

tem cauſa in fundo fuerunt, *v. d. l. 12. ſſ. 27. 28. ſeqq. ff. eod.*

Illud quoque notabile eſt, quod particula: *cum*, nec non particula: *&*, maximam diuerſitatem inuoluat, ſi inſtrumento legato adiiciatur, ſcilicet, ſi ita dixit teſtator: *Fundum cum inſtrumento do lego*, inſtrumentum loco acceſſorii habetur, & per conſequens, ſi fundus interiit, illud non debetur. At ſi verba legati ita concepta: *Fundum & inſtrumentum do lego*, vtrumque tanquam principale conſideratur, & hinc, licet vnum interiiſſet, alterum tamen nihilominus adhuc debetur, *v. l. 5. ff. h. t.* vbi quidem Labeonis ſententia ab opinione Pauli recedere videtur, Labeo tamen Pauli ſententiam deinde haud obſcure adprobat. Poſſet hinc deciſio ſumi, ſi quis ita dixiſſet: Er vermache Cajo ſein Pferd, nebſt Sattel und Zaum, vel ſi hisce formalibus vſus eſſet: Er vermache ihm das Pferd, wie auch Sattel und Zaum.

De Alimentis & Cibariis Legatis.

DISTINCTIO I.

Inter Legatum *Alimentorum* & *Cibariorum*.

C*ibariis* (vel *diariis*) relictis, neque habitationem, neque veſtiarium, neque calciarium deberi, palam eſt, quoniam de cibo tantum ſenſit teſtator. Ita pronunciat Vlpianus in *l. 21. ff. h. t.* (Pandectæ tamen Haloandrinæ pro *calciarium* recte legunt *calcearium*) ſub nomine *alimentorum* vero hæc tria comprehenduntur: *cibaria*, *veſtitus*, & *habitatio*, quia ſine his corpus ali non poteſt, prout hoc definit Iauolenus *in l. 6. ff. h. t.* Vnde legatum alimentorum pinguius eſt, quam *cibariorum*. Germanice cibarium commode exprimeretur per vocem: **Die freye Koſt**, alimenta vero per vocabulum: **Die völlige Unterterhaltung.**

DISTINCTIO II.

Inter Alimenta *ex lege & ex propria voluntate* præſtanda.

Priori caſu, quando v. g. pater ad alimenta liberis ſuppeditanda immediate ex legis diſpoſitione obligatur, ſub vocabulo alimentorum etiam ſumtus ſtudiorum comprehenduntur, *arg. l. 6. §. 5. ff. de Carbon. Edict.* Gothofred. *ad l. 4. ff. vbi pupill. educ. deb. poſteriori* ſecus eſt, *l. 6. ff. de alim. vel cibar. legat.* ibique Gothofred. Colerus *de aliment. lib. 2. c. 1. n. 10.* Surdus *de aliment. tit. 4. qu. 6. num. 4.* medicamenta tamen, lectus & ſtramenta, pro ratione perſonæ etiam vectura, nec non ligna, nomine alimentorum vbique veniunt, conf. Brunn. *ad l. 6. ff. h. t.*

NOVA DISTINCTIO.

Inter Alimenta futura *ex contractu* & ex *vltima voluntate* debita.

Vſus huius diſtinctionis potiſſimum in *transactione* ſeſe exſerit. De *his* enim non poteſt tranſigi *citra auctoritatem Prætoris*, bene tamen de *illis*. *L. 8. pr. & §. 2. ff.*

de Tranſact. Neque quod ad *hæc* ſola *iudicialis confirmatio* ſufficit, ſed *cauſſæ cognitio* præcedat, neceſſe eſt BRVNNEM. *Cent.* 2. *Dec.* 75. In adſignanda differentiæ ratione DD. in diuerſas partes abeunt. Mihi perplacet illa DVARENI *Diſpp. anniuerſ. Lib.* 1. *cap.* 44. qui ideo hoc conſtitutum eſſe exiſtimat, vt voluntas teſtatoris ſeruetur, quem veriſimile eſt, alimenta potius legatario particulatim, quam ſummam aliquam pecuniæ ſemel præſtari voluiſſe, ne deuorata magis, quam comeſa ea pecunia tandem eſurire aut mendicare cogatur. Quæ ratio ceſſat in his, quæ ex contractu debentur. Obligatio enim, quæ ex conſenſu contrahentium orta eſt, cur eorundem conſenſu non diſſoluatur? Ceterum quid in cauſſæ cognitionem veniat, & quibus caſibus ſine auctoritate Prætoris tranſigi poſſit, copioſe ediſſerunt MENOCH. *de A. I. Q. Lib.* 2. *Cent.* 2. *Caſ.* 170. CARDINAL. MANTICA *de Tacit. & ambig. conuent. Vol.* 2. *Lib.* 26. *Tit.* 3. *n.* 9. *ſeqq.*

LIB. XXXIV. TIT. II.

De Auro, Argento, Mundo, ornamentis, vnguentis, veſte, vel veſtimentis, & ſtatuis legatis.

Non opus eſſe exiſtimo, vt pro ratione inſtituti mei, ſingulas hasce ſpecies percurram, & quid ſub iisdem comprehendatur, fuſe explicem: illud enim facile patet, veſtitum noſtrum ab eo, qui quondam Romanis in vſu erat, toto cœlo diuerſum eſſe, & ſic deſcriptionem eiusdem vſum aliquem nobis præſtare non poſſe. Species, ad geradam pertinentes, recenſent Hartm. Piſtor. *lib. 1. qu. 32. num. 10.* Goldbeck. *de Gerada c. 2. n. 24.* Finckelth. *Obſ. 81. num. 56.* Sed & hic ex euolutione patebit, nonnullas ſpecies apud nos non amplius in vſu eſſe, quia Germanorum ornamenta & veſtimenta quam ſæpiſſime mutantur. Quod ſi ergo a temporibus præcedentibus ad præſentia Germanorum non valet argumentum, quanto minus ad Romanorum æuum recurri poterit.

De Conditionibus & Demonſtrationibus, & cauſis, & modis eorum, quæ in teſtamento ſcribuntur.

DISTINCTIO I.

Inter Conditionem *expreſſam* & *tacitam*.

E*xpreſſa* vocatur, quæ alias ex natura rei non adeſt, ſed de nouo adiicitur, *v. g. ſi ſeruum ſuum manumiſerit: ſi nauis ex Aſia redierit*, &c. *Tacita* autem, quæ iam ſine ſpeciali adiectione, ex natura ipſius negotii ſubintelligitur, v. g. in legato fructuum futurorum, *ſi aliquid in fundo natum fuerit.*

Vſus in eo conſiſtit, quòd prior *ſuſpendat obligationem*, & ſic legatarius, ea pendente, decedens, ad heredes ſuos nihil transmittat, quia dies nondum ceſſit, *l. 5. §. 2. ff. quand. dies legat.* (aliud in contractibus, *§. 4. I. de V. O.* de quibus tamen iam non eſt ſermo.) Poſterior *executionem* ſolum *ſuſpendit*, vnde licet legatarius ante meſſem, vindemiam, &c. moriatur, eius

eius tamen heredes nihilominus omne id, quod in vinea vel alio fundo natum fuerit, conſequuntur, *l. 99. ff. de condit. & demonſtrat.*

DISTINCTIO II.

Inter Conditionem *poteſtatiuam* & *caſualem.*

In *poteſtatiua* euentus conditionis principaliter ab arbitrio eius dependet, cui adſcripta eſt, v. g. *ſi ſeruum ſuum manumiſerit, ſi Caio centum dederit, &c. v. l. vn. §. 7. C. de caduc. toll.* at in *caſuali* eiusdem arbitrio nihil omnino eſt relictum, ſed omnia a caſu, vt gentiles loquebantur, vel ſtylo chriſtiano, a directione & prouidentia diuina proueniunt, v. g. *ſi nauis ex Aſia redierit;* &c.

Vſus in duobus præcipue conſiſtit. (1) *Poteſtatiua* quidem filio quoad bona vltra legitimam, (legitima enim ipſa nullum plane grauamen admittit) adſcribi poteſt, non vero *caſualis, A) l. 4. pr. ff. de hered. inſtit.*

A) Receptior ſententia *contraria*, quod reſpectu bonorum *vltra legitimam*, qualiscunque *poſſibilis* conditio adſcribi poſſit, per *L. 32. L. 36. §. 1. C. de Inoff. Teſtam.* pro qua facit euidens ratio, quod filius *in bonis*

ſtit. Hæc ergo ſi adſcripta fuit, vitiatur, Brunnem. *ad l. 4. C. de inſtit. & ſubſtit. n. 6.* quod idem obtinet, ſi poteſtatiua legitimæ adiecta fuerit, *l. 32. C. de inoff. teſtam.*

(2) *Caſualis*, quandocunque impleatur, nihil intereſt, *poteſtatiua* autem tantum poſt mortem teſtatoris eſt adimplenda *l. 2. ff. de cond. & demonſtr.* antea enim nondum conſtat de perſeuerante teſtatoris voluntate, & ſic ante mortem impleta, adhuc ſemel eſt adimplenda. Exceptio eſt, niſi conditio non ſit iterabilis, v. g. *ſi Caiam duxerit. B.) l. 10. pr. ff. eod.*

DIST.

bonis vltra legitimam pari paſſu cum *extraneo* ambulet, cui vti qualiscunque poſſibilis conditio adiici poteſt, ita etiam filio. Conſent. GRASS. *Recept. Sentent. Lib. 1. §. Legitima, Q. 38. n. 23.* & §. *Teſtamentum, Q. 37. n. 2.* BRVNNEM. *ad L. 4. ff. de Hered. inſtit.* CARDINAL. MANTICA *de Coniectur. vlt. Voluntat. Lib. XI. Tit. 18. n. 13.* GOMEZ. *Var. Reſolut. Tom. 1. cap. 11. n. 32.* GOTHOFRED. *ad L. 4. C. de Inſtit. & Subſtitut.* STRYK. *Vſ. mod. ff. Tit. De Condit. Inſtitut. §. f.* de BERGER *Oecon. Iur. Lib. 2. Tit. 4. §. 13. Not. 8.*

B) Hanc conditionem non *poteſtatiuam*, ſed *mixtam* eſſe, fatetur ipſe AVCTOR *Diſtinct. ſeq.*

DISTINCTIO III.

Inter Conditionem *poteſtatiuam* & *mixtam*.

Haſce duas ſpecies ita a ſe inuicem communiter diſtinguunt, quod in *poteſtatiua* euentus conditionis ab eius ſolius arbitrio dependeat, cui eiusmodi conditio adſcripta fuit, *v. Diſt. præced.* Sed vero in *mixta* cum tali arbitrio etiam caſus fortuitus concurrat, & ab hisce duobus dependeat eiusdem exiſtentia, v. g. *ſi Meuiam in vxorem duxerit*, vbi ſcilicet incertum eſt, vtrum Meuia petitioni meæ locum ſit conceſſura.

Hic ante omnia notandum eſt, quod adlata diſtinctio in Digeſtis non occurrat, ſed poteſtatiua & caſualis ibi ſaltem ſub nomine conditionum *promiſcuarum*, & *non promiſcuarum*, ſibi inuicem opponi ſoleant, *v. l. 11. ff. de cond. & demonſtr.* Origo eius itaque ex Codice repeti debet, & quidem ex *l. vn. ſ. 7. C. de caduc. toll.*

Verum enim vero ſi dicendum quod res eſt, nulla vnquam datur conditio poteſtatiua, quæ pure talis ſit, & quæ non aliquid admixtum habeat, quod a caſu & euentu incerto dependet. Nam & in illa conditione: *Si Titio decem dederis*, Titii voluntas libera concurrit, cum forſan recuſa-

cuſare Titius pecuniam, vel iam mortuus eſſe poſſit eo tempore, quo pecunia ipſi eſt offerenda, conf. omnino *l. 4: ʃ. 1. ff. de hered. inſtit.* Idem de reliquis communiter adferri ſolitis, ſtatuendum, v. g. *ſi Titius Alexandriam peruenerit, heres eſto*, item, *ſi Capitolium adſcenderit*, &c. quod fuſe perſequitur Illuſtr. Thomaſius *Diſſert. Lipſ. de Filio, ſub cond. ſi ſe fil. probau. inſtit. Cap. 2. ʃ. 18. 19. 20.*

Ex quo conſequitur, quod conditio poteſtatiua & mixta, *quatenus ab initio conſiderantur, & in ſpe adhuc exiſtunt*, reuera ab inuicem non ſint diſtinctæ, & ſic quoque præſens diſtinctio vſum aliquem præſtare non poſſit. Prædicata ſiquidem conditionis poteſtatiuæ ad mixtam quoque quadrant, tam affirmatiue, quam negatiue. Differentia tamen theoretica admitti poteſt *reſpectu exiſtentiæ* vtriusque conditionis. Vel enim *caſus* (ſub quo etiam factum alterius comprehenditur) *impediit eum*, qui conditionem eiusmodi adimplere voluit, vel *non impediit*. *Priori* caſu *mixta* vocari poſſet, quæ a *caſuali* in eo eſt diſtincta, quia in mixta caſus euenit ex accidenti, in caſuali autem ab initio ſtatim neceſſario comprehenſus fuit. *Poſterior* autem propter deficientiam caſus ſimpliciter *poteſtatiua* appellabitur. Sed vt dixi, hæc theoretica ſaltem ſunt, & *ratione facultatis dis-*

ponendi

ponendi, differentiam aliquam nullatenus inducunt, vnde eadem in hunc ſolummodo finem, vt Tribonianum, autorem præſentis diſtinctionis, quadantenus excuſaret, adducta ſunt ab alleg. Dn. Thomaſio *d. c. 2. ſ. 22.*

Scio quidem, nonnullos diſtinctionis vſum circa quæſtionem de impedimento adimplendæ conditionis, an ſcilicet illa *ex facto hominis*, an *a caſu* proueniat, oſtendere voluiſſe, ad conciliandos textus, qui in ff. ſibi e diametro in hac materia obſtare videntur; ſed cum Pandectæ mixtam conditionem ignorent, non video, quomodo hoc congrue fieri queat. Ipſam veterum ICtorum diſſenſionem hac parte in ff. occurrentem examinauit & oſtendit cit. Dn. Thomaſius *d. c. 2. ſ. 25. ſeqq.*

DISTINCTIO IV.

Inter Conditionem *poſſibilem* & *impoſſibilem*.

P*rior*, & teſtamentis & contractibus adiecta, actum ſuſpendit, ita tamen, vt in contractibus perinde ſit, ſiue viuo contrahente, ſiue eo mortuo, exiſtat, nam effectus pactorum ad heredes indiſtincte pertinet, *v. §. 4. l. d. V. O.* teſtamentis vero adiecta, viuo eo, cui adſcripta fuit, exiſtat, neceſ-

neceſſum eſt, alias enim, quia dies nec ceſſit, nec venit, ad hæredes nihil transmittitur, *v. Diſt. I. b. t.*

Poſterior contractibus iterum valide adiicitur, eosque vitiat, iuxta vulgatum logicorum canonem, quod conditio impoſſibilis vim negandi habeat, v. *ſſ. 10. I. de inut. ſtipul.* at in vltimis voluntatibus contrarium obtinet. Has enim non vitiat, *C)* ſed ipſa potius vitiatur, id eſt, pro non adiecta habetur, *ſſ. 10. I. de hered. inſtit.* Ratio differentiæ eſt, quia in contractibus alter, cui promittitur, præſens eſt, qui ſibi per proteſtationem proſpicere potuiſſet, quod dum

C) Exceptio eſt in filio *ſuo*, quo ſub conditione *impoſſibili* herede ſcripto, teſtamentum eſt *nullum*, ita vt legata ac reliqua teſtamenti capitula corruant. *l. 15. ff. de Condit. Inſtit.* BRVSSEL. *de Condition. Lib. 4. Tit. 2. n. 14.* STRYK *de Cautel. Teſtam. cap. 16. §. 32.* vbi recte monet, ad filium *emancipatum* hanc deciſionem non eſſe proferendam; vt vt enim hic poſt *Nou. 115.* pariter vt *ſuus* inſtituendus, non tamen eadem nullitatis pœna, in caſum conditionis impoſſibilis adiectæ, per *dict. Nou.* introducta. Excipitur quoque *legatum pœnæ*, quod, impoſſibili conditione adiecta, euaneſcit. *ſſ. f. I. de Legat.*

dum non fecit, iocatus eſſe cenſetur, non minus ac promittens. At in vltimis voluntatibus nec heres, nec legatarius, nec fideicommiſſarius, præſens cum teſtatore paciſcitur, & hinc ſibi per pactum & proteſtationem proſpicere non valet. De teſtatore autem, quod iocatus fuerit, non præſumitur, præſumtione iuris & de iure, id eſt, teſtator non debet iocari. Scilicet, in contractibus iocus quidem permittitur, non autem in vltimis voluntatibus, quæ ſeriæ eſſe iubentur a legibus.

DISTINCTIO V.

Inter Conditionem *impoſſibilem* & *turpem*.

Si *affirmatiue* adiiciuntur hæ conditiones, tunc in effectu inter vtramque non eſt differentia, vtraque enim in contractibus excludit conſenſum, prout modo ad *diſt. præc.* de conditione impoſſibili in genere dictum fuit; e contrario etiam vtraque in teſtamentis pro non adiecta habetur, & ſic vitiatur. Vnde turpis conditio ſub appellatione impoſſibilis communiter venire, & hæc in eam, quæ *facto*, & quæ *iure* talis eſt, diſpeſci ſolet. Priorem non *poſſumus*, poſteriorem non *debemus* implere, *v. l. 14. & 15 ff. de condit. inſtit.* in qua vltima Papinianus

nus dicit: *quod quæ facta lædunt pietatem, exiſtimationem, verecundiam noſtram, & (vt generaliter dixerim) contra bonos mores fiunt: nec facere nos poſſe credendum ſit.*

Quod ſi vero *negatiue* exprimuntur dictæ conditiones, in materia contractuum adhuc ſupereſt vſus aliquis. Quid enim ſi centum promiſerim ſub hac conditione: *ſi Caium non occiderit, ſi furtum non fecerit, &c.* atque alter promiſſionem meam ſub eadem conditione acceptauerit? Nihil conſequetur. *arg. l. 61. ff. de V. O. l. 7. ſ. 3. ff. de pact.* gratis enim debebat hoc alter intermittere, neutiquam vero propterea lucrum aliquod acceptare, vnde ſi quid ex tali promiſſione ſolutum, tanquam indebitum iterum repeti poteſt, *l. 4. ſ. 2. ff. de condict. ob turp. cauſ.*

Dico in materia *contractuum.* Nam in *teſtamentis* nunquam vitiatur heredis inſtitutio, ſiue turpis conditio affirmatiua, ſiue negatiua fuerit. Ratio, quia heres vel legatarius præſens non eſt, nec promiſſionem teſtatoris acceptat, & ſic ex eius acceptatione, quæ non facta eſt, turpitudo aliqua deduci nequit.

Hæc de conditione *turpi.* Quod vero *impoſſibilem natura* attinet, ea ſi *negatiue* ſit concepta, ſiue contractibus, ſiue teſta-

mentis adiiciatur, nunquam vitiat negotium, ſed vbique detrahitur, *ſ. 11. l. de inutil. ſtipul.* ſecus, ſi *affirmatiue*, de quo ad *diſt. præced.* paulo ante egimus.

DISTINCTIO VI.

Inter Conditionem *impoſſibilem* & *difficilem*.

Prior vocatur, quæ toti humano generi, in vniuerſum conſiderato, omnibusque & ſingulis eiusdem indiuiduis, impoſſibilis eſt; *poſterior*, quæ a certis ſaltem indiuiduis præſtari nequit, *v. g. ſi Titius eo momento, quo me ipſum heredem inſtituiſſe comperit, Caio mille thaleros exſoluerit.*

Quid circa *priorem* iuris ſit, hactenus aliquoties dictum fuit. *Poſterior* autem, non ſolum in contractibus, ſed in ipſis etiam vltimis voluntatibus adimplenda eſt, ſi quis effectu diſpoſitionis teſtatoris perfrui deſideret, *l. 4. ſ. 1. ff. de ſtat. liber.* Ita Paulus. Sed Vlpianus in omnia alia abit in *l. 6. ff. de condit. inſtit. Si quis ita inſtitutus ſit*, inquit, *ſi monumentum poſt mortem teſtatoris, in triduo proximo mortis eius feciſſet; cum monumentum in triduo perfici non poſſit, dicendum erit, conditionem euaneſcere, quaſi impoſſibilem.* Quid ergo faciemus cum Paulo & Vlpiano? Paulum de ſtricto iure, Vlpia-

Vlpianum autem de æquitate intelligendum eſſe putat Dn. Thomaſ. *cit. Diſp. de filio, ſub cond. ſi ſe fil. prob. inſt. c. 2. ∫. 14.* Alii *d. l. 6.* de eo caſu intelligunt, ſi teſtator credidit, conditionem eſſe impoſſibilem, id eſt, monumentum intra præfixum triduum, ob concurrentes circumſtantias, ab herede perfici non poſſe, *l. 4. ∫. 1. ff. de ſtat. lib.* autem de eo, ſi teſtator adſcriptam conditionem facile impleri poſſe exiſtimauerit, v. Zœſius *ad tit. ff. de cond. inſtit. num.* conf. B. Stryk. *in not. ad Lauterb. d. tit. verb. per accidens.* Sane, ſi tales interpretationes admittere nolis, vix eſt, quin antinomiam ſtatuere cogaris. Sit cuilibet ſaluum iudicium ſuum.

DISTINCTIO VII.

Inter Conditionem *faciendi* & *non faciendi.*

Conditio *faciendi*, v. g. *ſi Titius Caio ædificium exſtruxerit, heres eſto*, inſtitutionem tamdiu ſuſpendit, donec Titius factum iniunctum reuera præſtiterit, prout hoc ex natura conditionum poſſibilium iam patet: aſt conditio *non faciendi* (quæ etiam *contraria* vocatur) non ſuſpendit, ſed legatum, vel hereditas, hoc modo relicta: *ſi Dresdam non iuerit*, ſtatim debetur, modo tamen perſona honorata cautionem Mutia-

nam præſtet, ſe rem acceptam iterum reſtituturam eſſe, ſi conditioni adſcriptæ contrauenerit, *l. 7. l. 18. l. 73. ff. de cond. & demonſtr.*

Supponitur autem, talem eſſe conditionem non faciendi, quæ ante perſonæ honoratæ mortem exiſtere non poſſit, qualis erat, quam modo adduxi; Nam ſi ita dixerit teſtator: Titius heres eſto, *ſi ab vxore ſua non diuerterit*, expectandus eſt euentus, quia quamprimum moritur vxor Titii, ſtatim certum eſt, conditionem exiſtere amplius non poſſe, vnde tunc cautioni Mutianæ locus non eſt, *l. 101. ſ. 3. ff. d. t.*

DISTINCTIO VIII.
Inter Conditionem *claram* & *perplexam*.

Clara interdum ſuſpendit & euertit vltimam voluntatem, interdum non, prout iuxta hactenus adlata, vel poſſibilis eſt, vel impoſſibilis: ſed *perplexa* diſpoſitionem ſemper vitiat. Vnde ſi teſtator ita ſcripſit: *ſi Titius heres erit, Seius heres eſto: ſi Seius heres erit, Titius heres eſto*, Iulianus inutilem eſſe inſtitutionem ſcribit, cum conditio exiſtere non poſſit, referente Marciano in *l. 16. ff. de cond. inſtit.* Equidem Illuſtr.

luſtr. Thomaſius iamdum oſtendit in der Ausübung der Vernunſt-Lehre *cap. 3. ſ. 78.* quod iuxta principia genuina interpretandi, adducta verba inſtitutionis ad perplexa non pertineant, ſed hunc potius ſenſum, ex præſumta teſtatoris voluntate, habeant, quod vterque & Titius & Seius heres eſſe debeat; verum in praxi ſine dubio adhuc iuxta ſubtilitatem Romanam pronunciabitur.

DISTINCTIO IX.

Inter *Conditionem* & *Diem*.

Differunt hæc duo ratione quæſtionis: *an?* ſcilicet *in conditione* plane incertum eſt, *an extiturum ſit illud*, quod promiſſioni adiectum, v. g. an nauis ex Aſia ſit reditura, an Titius Caiam ducturus, an ſeruum ſuum ſit manumiſſurus, & quæ ſunt eiusmodi plura alia. At vero *in die* hæc quæſtio certa eſt.

Vſus in transmiſſione legatorum & hereditatum ſeſe exſerit. Scilicet ſi legatarius pendente conditione moritur, nihil ad heredes transmittit, quia dies nondum ceſſit, *v. Diſt. I. & IV. h. t.* at ſi ante aduentum diei moritur, tunc legatum interdum transmittit, interdum non; prout hoc ex ſequenti diei ſubdiuiſione melius patebit.

DISTINCTIO X.

Inter Diem *certum* & *incertum*.

Hic vlterius differentia intuitu quæſtionis: *quando?* deprehenditur. Si enim hæc certa eſt, v. g. ſi dicam, *Titio do lego centum, elapſo primo poſt mortem meam anno*, tunc *dies* quoque *certus* vocatur; ſin vero illa certitudinem non habet, v. g. *Titio do lego centum, cum Sempronius morietur*, tunc exinde *dies incertus* nominari conſueuit.

Vſus hic eſt. Quotieſcunque dies certus vltimis voluntatibus adiicitur, tunc nondum quidem venit dies, ſed ceſſit tamen, & ergo licet perſona honorata ante diei aduentum moriatur, ius ſuum nihilominus ad heredes transmittit, *l. 213. ff. de V. S.* quia defunctus *certo ſciuit*, ſe legatum aliquando eſſe conſecuturum. At ſi dies incertus adeſt, nec cedit, nec venit dies, ante diei aduentum. Vnde ſi in exemplo adducto Titius, tanquam legatarius, ante Sempronium diem obiret ſupremum, eius heredes poſtmodum, mortuo etiam Sempronio, nihil conſequi poſſent, Titius enim, quamdiu vixit, *nondum certo ſciuit*, an ſuperuiueret Sempronium, annon, *v. l. 4. pr. ff. quand. dies legat. vel fideicomm. ced.*

Nomen

Nomen *diei incerti* quidem & tunc interdum in legibus vſurpatur, quando vtraque quæſtio: *an?* & *quando?* incerta eſt, v. g. *cum magiſtratum inierit &c.* v. *l.* 21. *ff. d. t.* item, quando quæſtio *quando?* certa eſt, non autem quæſtio præiudicialis: *an? d. l.* 21. Verum hic vocabulum diei incerti aliquanto abuſiue accipitur, reuera enim hic conditio ſubeſt, quod ipſi agnoſcunt DD. v. Gail. 2. *Obſ.* 132. *num.* 1. Carpz. *P.* 3. *C.* 13. *Def.* 25. Struu. *Iurispr. Rom. Germ. lib.* 2. *Tit.* 24. *aphor.* 24. Ergo hic idem applicandum, quod de conditionibus paulo ante dictum fuit.

DISTINCTIO XI.

Inter *Conditionem* & *Modum*.

Conditionem ſuſpendere effectum promiſſionis, ſiue inter viuos illa facta fuerit, ſiue in vltimis voluntatibus, iam aliquoties diximus. At in *modo* adiecto ſecus eſt. Siue enim ille ſit *affirmatiuus*, e. g. *do lego centum, vt Caiam ducat;* ſiue *negatiuus, ne Caiam ducat*, res legata peti poteſt, modo de adimpletione idonea cautio præſtetur, *D) v. l.* 40. *ſ. f. ff. b. t.* (quæ tamen

D) Si ſcilicet modus adiectus *in tertii vtilitatem* redundet, alias non. vid. AVCTOR. *Doctr. Pand. b. t. ſ.* 4.

tamen cum cautione *Mutiana* confundi non debet, de qua ſub *Diſt. VII. h. t.* diximus,) quod ſi tamen modus præſcriptus non adimpleatur, res ſub ſpe futuri implementi data, ſine dubio iterum repetitur per condictionem cauſa data cauſa non ſecuta.

Sed hic iterum non leue diſcrimen deprehenditur. Quod ſi enim res, ſub conditione tradita fuerit, deficiente poſtea conditione, vindicari iterum poteſt, quæ vindicatio aduerſus quemcunque poſſeſſorem recte inſtituitur, conf. *l. 8. pr. de peric. & comm. rei vend.* Verum per traditionem, ſub ſpe adimplendi modi factam, dominium reuera transfertur, & ſic danti nihil præter dictam condictionem *E)* remanet, quæ, tanquam actio perſonalis, non aduerſus tertium poſſeſſorem, ſed aduerſus ſolum accipientem inſtitui poteſt, prout ad *tit. ff. de condict. cauſ. dat. cauſ. non ſecut.* a DD. exponi ſolet; v. Struu. *Exerc. 18. th. 17.*

DIST.

E) Elegantem exceptionem ex *l. 1. C. de donat. quæ ſub modo vel condit.* vide ſupr. *Libr. 12. Tit. 14. Diſt. 1.* vbi ob non adimpletum modum, *Rei vindicationem* competere monetur.

DISTINCTIO XII.

Inter *Cauſam* & *Demonſtrationem.*

Hæc duo theoretice quidem differunt, non autem quoad effectum. Diſcrimen theoreticum in hoc conſiſtit: *demonſtratio* pertinet ad circumſtantias externas, quæ eapropter exprimi ſolent, vt vel perſona legatarii, vel res promiſſa, eo melius ab aliis ſeparari poſſit, v. g. *Titio, huius vrbis conſuli, do lego centum*, (hic demonſtratio adiecta eſt perſonæ legatarii,) aut: *Titio do lego ædes meas, quas Caius mihi nuper donauit*, (hic adiecta eſt rei legatæ.)

Cauſa autem denotat cauſam impulſiuam, quæ mouit teſtatorem ad hereditatem relinquendam, vel legatum conſtituendum, v. g. *Titio do lego centum, quia mea negotia expediuit.*

In effectu & cauſa & demonſtratio idem prædicatum habent. Falſa cauſa non vitiat legatum, nec falſa demonſtratio, *l.* 17. §. 2. *ff. h. t.* Ratio legandi legato non cohæret, inquit Papinianus in *l.* 72. §. 6. *ff. eod.* id eſt, legata non requirunt præexiſtentem cauſam, & ſic de qualitate huius, an vera ſit, an falſa, diſputare ſuperfluum foret. Demonſtrationes quoque non impulerunt teſtatorem ad relinquendum legatum, ſed ſunt me-

merum accidens, quod adeſſe vel abeſſe poteſt, ſaluo nihilominus legato.

Hæc *in dubio* ita ſeſe habent. Quod ſi enim heredes liquido probare poſſent, teſtatorem legatum nunquam conſtituiſſe, ſi falſitatem cauſæ adiectæ ſciuiſſet, tunc ſine dubio falſa cauſa legato oberit, *d. l. 72. ſ. 6. h. t.* aut ſi cauſa per modum *conditionis* concepta, v. g. *Titio do lego centum, ſi, vt fertur, negotia mea geſſit, l. 17. ſ. 3. ff. h. t. F)* Sic etiam falſa demonſtratio nocet, ſi *a loco* ſit deſumta, *l. 108. ſ. 10. ff. de legat. 1. l. 8. ſ. 2. ff. de legat. 2.*

LIB.

F) Aut ſi cauſa reſpiciat conſanguinitatem, vel adfinitatem, e. g. Titio, *quia eſt conſanguineus meus*, 100 do, lego. arg. *L. Si pater tuus. 4. C. de Hered. inſtit.* CARDINAL MANTICA *de Coniectur. vlt. volunt. Lib. 6. Tit. 14.*

LIB. XXXV. TIT. II.

Ad Legem Falcidiam.

LIB. XXXVI. TIT. I.

Ad SCtum Trebellianum.

DISTINCTIO I.

Inter Quartam *Falcidiam* & *Trebellianicam*.

Theoretice ita differunt. Quarta *Falcidia* deducitur ab herede in legatis & fideicommiſſis particularibus, *A*) vt-

A) Nec non in *donationibus m. c.* quod addit AVCTOR *Doctr. Pand. h.t.* §. 1. (Excipe de Iure Saxonico Electorali *donationem m. c. omnium bonorum iudicialiter factam*, quoniam huiusmodi donatio donatarium *quaſi heredem* facere creditur, aduerſus quem Falcidiæ detractio exerceri nequit. CARPZ. *Ipr. for. part.* 3. *Conſt.* 1. *def.* 5. Vid. not. infr. *Lib.* 39. *Tit.* 6. *ad Diſtinct.* 1.) Huc quoque pertinent donatio *inter coniuges morte confirmata.* *l.* 12.

vtpote quæ legatis & hac parte ſunt exæquata, *v. pr. I. de Leg. Falcid. Trebellianica* autem in fideicommiſſis vniuerſalibus, *l. 1. §. 5. ff. ad SC. Trebell.*

Vſus autem in eo conſiſtit: In quartam *Falcidiam* ea ſolummodo imputantur, quæ quis titulo heredis a defuncto teſtatore accepit, non autem quæ legatorum nomine habet, aut quæ per donationem mortis cauſa accepit. *l. 74. l. 91. ff. ad L. Falcid.* Sed e contrario etiam onera hereditaria ſolus ferre cogitur, quia legatarii tale quid non agnoſcunt, legatum enim ſine onere eſt. In quartam *Trebellianicam* omnia imputantur, ſiue titulo hereditario, ſiue legati, ſiue donationis m. c. ſiue quocunque alio, penes heredem deprehendantur *d. l. 91. ad L. Falcid.* ipſe vero onera hereditaria non ſolus in ſe recipit, ſed pro rata portione in fidei-

l. 12. C. h. t. &, ſi credimus HAHNIO *de Iur. Rer. cap. 9. Concl. 72. n. 10.* pacta dotalia *mixta;* a qua ſententia vero rectius diſcrepant CARPZOV. *cit. Conſt. 1. def. 11.* B. STRYK. *de Succeſſ. ab inteſt. Diſſert. 8. cap. 5. §. 48.* quum eiusmodi pacta ſuperſtitem coniugem *heredem conuentionalem* conſtituant.

fideicommiſſarium transfert, *B)* *ſ.7. I. de fideic. heredit.*

Quamuis vero in LL. non raro vocabulum quartæ Falcidiæ de Trebellianica prædicetur, *C)* *v. l. 86. ff. ad L. Falcid.* aliosque textus a Lauterbachio *ad Tit. ad SC. Trebell.* adductos; tunc tamen illud vocabulum paulo abuſiue capitur, qui ſignificatus ad nos in præſenti non pertinet, ſed ſtrictus potius, iuxta quem vtraque quarta ſibi communiter in LL. opponitur.

Ceterum, ex quibus cauſis ceſſat Falcidiæ detractio, ex illis quoque Trebellianicæ, v. g. ob prohibitionem teſtatoris, *D)* omiſ-

B) *Exceptio* eſt, ſi quis vna re deducta, vel præcepta, quæ quartam continet, e. g. fundo, rogatus ſit hereditatem reſtituere, tunc enim illa res ſine vllo onere hereditario, *quaſi ex legato* penes heredem remanet. §. *9. I. de Fideicommiſſ. Heredit.*

C) Vocabulum: *Trebellianica*, in Corpore iuris ciuilis *nusquam*, in Iure Canonico *ſemel* tantum occurrit, ſcilicet in *C. Raynaldus. 18. X. de Teſtament.* Add. MANTICA *de Coniectur. vlt. voluntat. Lib. 7. Tit. 11. n. 1.*

D) De *Falcidia* res dubio vacat, ob textum in *Nou. 1. cap. 2. ſ. 2. vers. Si vero expreſſim deſignauerit*, cetera. (Vnde, quod

quod obiter addo, perſpicuum ſit, **menti** Imp. parum vehementer congruere illorum ſententiam, qui etiam *tacitam* prohibitionem admittunt, quum aliud omnino ſit *quomodocunque* deſignare, aliud *expreſſim* deſignare. Neque ad rem facit, quod tacitum idem operetur ac expreſſum, fallit enim regula illa, quum Lex diſerte expreſſa verba exigit. Vid. ZOES. *ad ff. h. t. n. 30.* CARPZ. *Lib. 6. Tit. 3. Reſp. 30.* Et hæc ſententia, quod *expreſſe* Falcidia prohiberi debeat, in Electoratu Saxoniæ confirmata per DECIS. SAXON. *43.)* Magis impedita, imo iudice CLARO *Recept. ſentent. Lib. 3. ſ. Teſtamentum. Q. 62. n. 1. ardua* ac *terribilis* quæſtio eſt: *Num Trebellianica a teſtatore prohiberi poſſit?* Mihi, ſalua cuiusuis auctoritate, *aiens* ſententia probatur, per *d. Nou. 1. cap. 2. ſ. 2.* ibi: *Si vero expreſſim deſignauerit, non velle heredem retinere Falcidiam, neceſſarium eſt teſtatoris valere ſententiam*, cetera. Quæ verba etiam de Trebellianica intelligi debere, non tantum inde claret, quod vſu iuris vocabulo Falcidiæ ſæpenumero Trebellianica contineatur, verum & ipſe Imp. liquido oſtendit, dum *d. cap. 2. ſ. 2. in f.* ſi heres parere noluerit, locum fieri ſtatuit ſubſtitutis, coheredibus, FIDEICOMMISSARIIS, legatariis, cetera.

Et

Et ne quis forte exiſtimet, fideicommiſſarios ſingulares heic indigitari, Imp. addit: *ſicut dudum prædiximus*, quibus verbis prouocat ad ea, quæ ſupra *cap. 1.* §. *1.* de fideicommiſſariis vniuerſalibus dixerat, ibi: *Etenim in legatariis & fideicommiſſariis hunc eſſe volumus ordinem, vt detur licentia aditionis priori PER VNIVERSITATEM fideicommiſſario*, cetera. Et paullo poſt: *Si vero nullus fuerit legatariorum vel fideicommiſſariorum PER VNIVERSITATEM*, cetera. Si ergo herede voluntatem teſtatoris, (qui Falcidiam prohibuit) implere recuſante, locus quoque fit *fideicommiſſario vniuerſali*, conſequens eſt, heredem vtique fideicommiſſo vniuerſali fuiſſe grauatum, atque adeo vocabulum Falcidiæ *h. l.* non ſtricte, ſed in ſignificatu *laxiori*, vt Trebellianica eodem contineatur, capiendum eſſe. Deinde ſi rationem huius Conſtitutionis veſtiges, hanc vnam & ſolam Imp. *d. c.* 2. §. 2. adfert: *Vt voluntas teſtatoris impleatur*, quæ ratio profecto non minus ad Trebellianicam, quam ad Falcidiam pertinet. Pluribus argumentis ſententiam hanc conſtabilire nimis longum foret, vnde Lectorem horum cupidum ad VASQV. *de Succeſſ. & vlt. volunt. Tom. 1. Lib. 1. §. 8. n. 5. ſeqq.* GIPHAN. *ad l. 7. C. Ad*

 L. Fal-

omiſſionem inuentarii, *E)* fauorem piæ cauſæ, &c. In ſpecie tamen ceſſat Trebelliana, ſi fiduciarius coactus hereditatem adiit, *l. 63. ſ. 11. ff. ad SC. Trebell.* Fiduciarius enim, quia & ipſe fideicommiſſarius titulo heredis gaudet, ad adeundam hereditatem cogi poteſt, aut, ſi fiduciarius adire recuſat, fideicommiſſarius adit: *F)* aſt legatarii

L. Falcid. DONELL. *Comment. Iur. ciuil. Lib. 7. cap. 29.* B. STRYK. *de Cautel. Teſtament. cap. 22. Membr. 1. §. 16.* DVAREN. *ad L. Nemo 55. ff. de Leg. 1. vers. An hoc nouum ius. p. m. 733.* HVNN. *Var. Reſol. Lib. 2. Tract. 8. Q. 21.* MEREND. *Controuerſ. Iur. Lib. 4. cap. 14.* FRANZK. *Exerc. 7. Q. 9.* aliosque, qui ab his laudantur, DD. ablego.

E) Contrariam ſententiam recte amplexus eſt B. AVCTOR *Doctr. Pand. h. t. §. 2.* eamque defendunt BRVNNEM. *ad l. f. C. de Iur. delib. n. 66.* PEREZ. *ad C. eod. n. 15.* L. B. de COCCEI. *Iur. ciuil. controuerſ. eod. Q. 5.* HILLIGER *in Donell. enucl. Lib. 7. cap. 29. lit. F.* vbi plures cumulat.

F) Ita quidem cum AVCTORE rationes ſubducit STRVV. *S. I. C. Exerc. 36. §. 28.* ex citata *Nou. 1. cap. 1. §. 1.* quæ tamen huic ſententiæ prorſus non fauet, quum non loquatur de *herede adire nolente*, ſed de *herede*

tarii ita heredem cogere, & ipſi adire hereditatem non poſſunt, quia titulum heredis non habent.

LIB. XXXVI. TIT. II.

Quando Dies Legatorum vel Fideicommiſſorum Cedat.

DISTINCTIO I.

Inter *Cedere* & *Venire* Diem.

Cedere tunc dicitur dies, quando legatarius vel fideicommiſſarius *certo ſcit*, *rede adeunte*, *& voluntatem teſtatoris implere recuſante*, vnde adhuc priſtina illa compulſione heredis fiduciarii opus. vid. BACHOV. *ad Treutler. Vol.* 2. *Diſp.* 14. *th.* 1. *lit. D.* B. STRYK. *de Succeſſ. ab inteſtat. Diſp.* 1. *cap.* 1. *ſ.* 42. & cumprimis LAUTERBACH. *Diſp. de Teſtam. deſtituto*, *Membr.* 3. §. 34. *ſeqq.* qui hanc cauſſam tam copioſe ſolideque diſceptat, vt merito palmam tuliſſe cenſendus ſit.

ſcit, ſe legatum vel fideicommiſſum *aliquando eſſe conſecuturum: Venire* autem, quando non ſolum de hoc certus eſt, ſed ſimul etiam *in præſenti* rem illam legatam *petere valet*.

Ex quo ſtatim profluit, quod legatarius, ſi ante mortem eius dies legati ceſſit, illud ad heredes transmittat, quamuis dies ipſo viuente nondum venerit, & ſic poſſeſſionem rei legatæ non habuerit, ad hoc enim in præſenti materia non reſpicitur, *v. l. 5. pr. ff. h. t.*

Sed a quonam tempore *cedit*, & a quonam *venit* dies legati? Reſp. In legato *puro* & cedit & venit dies ſtatim a tempore mortis, *A) l. 5. ſ. 1. ff. h. t.* niſi ſit perſonale v. g. Vſusfructus, de quo ſuo loco diximus. In legato *conditionali* nec cedit nec venit dies pendente conditione, ſed tantum ſpes

A) Dies legati *pure* relicti *cedit* quidem a *tempore mortis* teſtatoris, per *d. l. 5. §. 1.* ſed *non venit*, niſi a tempore *aditæ hereditatis*, prius enim non eſt a quo peti poſſit. vid. *l. 7. pr. ff. h. t. l. 32. pr. ff. de leg. 2.* Aes alienum hereditas iacens debet, aſt non legata, quæ ex hereditatis aditione pendent, qua non facta, teſtamenti vis reſoluitur, & legata regulariter intercidunt. *l. 9. ff. de Teſtam. tutel. ſ. 2. I. de L. Falcid. l. 181. ff. de R. I.*

ſpes eſt fore, vt aliquando hoc fiat, *l. 41. ff. de cond.* & *l. 5. §. 2. h. t.* quamprimum autem exiſtit conditio, dies ſimul & cedit & venit. In legato *in diem certum*, v. g. elapſo anno primo poſt mortem meam, dies ſtatim quidem ceſſit, ſed nondum venit. *l. 1. ʃ. 2. ff. de cond. & demonſtr. l. 5. ʃ. 1. ff. h. t.* In legato *in diem incertum*, v. g. Titio do lego, cum Caius morietur, idem iuris, quod in conditione, *d. l. 1. ʃ. 2. ff. de cond. & demonſtr.* id eſt, nec cedit, nec venit dies, niſi poſtquam Caius mortuus eſt, add. *l. 213. ff. de V. S.* vbi hæc omnia in compendio exhibentur. Notandum tamen adhuc, quod dies incertus tunc dicatur, *ſi ille perſonæ tertii adiectus eſt*, vt in adducto exemplo factum; Quod ſi enim *perſonæ ipſius teſtatoris* ſit adiectus, v. g. cum moriar, centum do lego, tunc legatum purum eſt, & dies ſtatim cedit & venit *B)* a tempore mortis teſtatoris, *v. l. 18. ʃ. 1. ff. de manum. teſtam.*

Lib.

B) Repetenda heic, quæ paullo ante dicta, quod dies legati puri non a tempore mortis teſtatoris, ſed *a tempore aditæ hereditatis* veniat.

LIB. XXXVII. TIT. I.

De Bonorum Poſſeſſionibus.

DISTINCTIO I.

Inter *Hereditatem* & *Bonorum Poſſeſſionem*.

Differunt hæc duo præcipue *ratione cauſæ efficientis*, hereditas enim *ex iure ciuili* prouenit, bonorum poſſeſſio autem *a prætore* demum eſt introducta, emendandi vtplurimum iuris ciuilis gratia, prout in *pr. I. de bon. poſſeſſ.* dicitur. Prætor enim id ſemper agebat, vt vbi ius ciuile vetus plerumque ob ſubtilitatem ſuam deficere videbat, ipſe hunc defectum ſuppleret, vel ipſum quoque ius corrigebat, atque abrogabat, non tamen aperte, ſed recte, quia poteſtate legislatoria non pollebat. Idem in præſenti deprehenditur. Bonorum enim poſſeſſio reuera nihil aliud eſt, quam hereditas prætoria, ſed quoniam hereditates ex iure ciuili proprie ſic dicto proueniebant, prætor ab illo vocabulo abſtinebat, vocem bonorum poſſeſſionis in eius locum ſubſtituens.

Poſſes & hoc addere, quod differentia aliqua *intuitu modi acquirendi* adſit. Hedi-

reditas ſcilicet ſolo animo aditur, verbis vel factis declarato, idque ſiue in iudicio fiat, ſiue extra illud, perinde eſt: aſt bonorum poſſeſſio voluntatis declarationem iudicialem requirit, *l. 9. C. qui admitt. ad bon. poſſeſſ. poſſ.*

Hereditatis aditio non poteſt per procuratorem fieri, qui eo ipſo, dum procuratori demandatur aditio, eadem iam eſt facta, & procuratori aliquid vlterius expediendum non eſt relictum, *l. 26. ff. de acquir. vel omitt. hered. A)* Aſt bonorum poſſeſſionis acceptatio per procuratorem recte expeditur.

A) Luculentius hanc ſententiam firmat *l. 90. ff. eod. Per procuratorem* (ita legit HALOANDER, & refert ANT. CONTIVS *ſubceſiu. lect. lib. 2. c. 17.* in membranis vetuſtis ita legi) *non poſſe adiri hereditatem*, vt mirer AVCTOREM a ſe ipſo diſſentire *Doctr. Pand. tit. de Procurat. §. 11.* excitata *l. 25. ſ. 5. ff. de A. vel O. H.* quæ tamen huic ſententiæ neutiquam fauet, quum loquatur de *filio herede ſcripto*, ac *iuſſu patris* hereditatem adeunte. Maiorem veri ſpeciem præ ſe ferunt diſſentientis DVARENI argumenta, quibus vero ſatis a me factum in *Diſp. de Negotiis in perſon. propr. explicand. cap. 2. ſect. 2. ſ. 16.*

ditur. *l.* 3. *ſ.* 7. *ff. b. t.* Quamuis enim ego hic mandauerim, vt procurator meo nomine acceptet, eo ipſo tamen integrum negotium nondum eſt abſolutum, ſed quod ego extra iudicium mandaui, procurator deinde in iudicio vlterius perficere tenetur.

Hereditatem, ſi creditores *B)* non vrgeant, adhuc intra 30 annos *C)* adire licet, tam-

B) Vel ſubſtitutus, legatarii, heredes ab inteſtato; his vero vrgentibus, ipſo iure *annus* ad deliberandum competit. *l.* 19. *C. de Iur. deliber.*

C) Si nemo vrgeat, heres *ſemper* deliberare poteſt, vtrum adire velit an non, LAVTERBACH. *Tit. de Iur. delib. p.* 498. Nec obſtat *l.* 7. *C. de Petit. hered.* vbi poſt *lapſum 30 annorum* heres a petitione hereditatis *excluditur.* Reſp. verum hoc eſſe, ſi *tertius quis hereditatem poſſideat*, & heredem negligentem a iure ſuo excludat, ſecus ſi *nemo hereditatem poſſideat*, vbi in infinitum heres deliberare poteſt, L. B. de COCCEII. *Iur. ciuil. Controuerſ. Tit. de Iur. delib. Q.* 1. Add. DN. de BERGER *Reſolut. Lauterb. Tit. de A. vel O. H. p.* 625. Ceterum illa, quam DD. nonnulli heic adferunt, exceptio, *quod liberi demum ſpatio præſcriptionis triplicato, nempe 90 annorum, a petitione paternæ vel aui-tæ*

tamdiu enim durat hereditatis petitio: at bonorum poſſeſſio eſt agnoſcenda a parentibus & liberis intra annum, a reliquis vero intra centum dies, *§. 4. in fin. l. h. t.*

Ceterum ratione effectus, vt DD. fatentur, nihil inter vtramque hereditatis ſpeciem intereſt, vnde Paulus, alias admodum ſubtilis, fateri cogitur in *l. 138. ff. de V. S.* quod hereditatis appellatione bonorum quoque poſſeſſio contineatur. Et quemadmodum hereditas deſcribitur in *l. 24. ff. de V. S.* quod ſit *ſucceſſio in vniuerſum ius, quod defunctus habuit:* ita quoque bonorum poſſeſſionis deſcriptio hæc eſt in *l. 3. §. 2. ff. h. t.* quod ſit *ius perſequendi, retinendique patrimonii, D) quod cuiusque, cum moritur, fuit,*

tæ hereditatis excludantur, ficta ac commentitia eſt, ſolide iamdum exploſa a B. STRYKIO *Vſ. mod. ff. Tit. de A. vel O. H. §. 3.* Et quamuis CARPZOV. *Ipr. for. part. 3. Conſt. 14. def. 30.* & PHILIPP. *Vſ. pract. Inſt. Lib. 3. Eclog. 34.* ex citatis præiudiciis, vſum fori Saxonici heic laudent, hodie tamen Collegia Saxonica in alia omnia ire, luculentus teſtis eſt Ill. DN. de BERGER *Diſp. de Omiſſion. Heredit. §. 11.*

D) Heic latet *differentia* inter *hereditatem* & *Bonorum Poſſeſſionem*, qui enim here-

 dita-

fuit, vbi quidem vocabula alia atque alia deprehenduntur, ſenſus tamen vbique idem eſt.

Et cum præterea hodie liberi emancipati, in quorum gratiam prætor principaliter bonorum poſſeſſionem introducebat, cum ſuis per *Nou. 118.* ratione ſucceſſionis exæquati ſint, & ſic auxilio prætoris non amplius indigeant, hinc exiguus quoque hodie præſentis noſtræ diſtinctionis vſus erit. Pauci excipiuntur caſus, vbi adhuc dum bonorum poſſeſſione opus eſt, quamuis nomen non adhibeamus, ſcilicet (1) quando quaſi poſthumus decedit iterum, viuo adhuc teſtatore, cuius teſtamentum per hunc poſthumum ruptum erat: (2) quando teſtator, qui capitis diminutionem paſſus, & ſic teſtamentum irritum factum

ditatem iam *poſſidet*, fruſtra agit hereditatis petitione, quum ipſi obſtet exceptio: *Intus habes quod petis*, imo nec *aduerſarium* habere poteſt. Longe aliter ſeſe res habet in Bonorum Poſſeſſione, quam petere poſſum, *etſi nihil mihi abſit;* petitur enim propterea, vt *iuſte* poſſideam, & ne mihi bona *auferri posſint.* B. STRYK. *de Succeſſ. ab inteſtat. Diſſ. 9. cap. 1. §. 20.*

ctum erat, in integrum reſtituitur: *E)* (3) quando præteritus non impugnat teſtamentum: (4) quando heres, ſub conditione inſtitutus, ea pendente, poſſeſſione hereditatis perfrui vult: (5) quando liberi, repudiata paterna hereditate, auitam ſolam adire volunt: (6) quando coniux ſuperſtes, deficientibus defuncti coniugis cognatis, ad integram hereditatem adſpirat, de quibus caſibus fuſe agitur Struu. *S. I. C. Exerc.38. theſ. 42. F)* quo nos breuitatis cauſa remittimus.

DISTINCTIO II.

Inter Bonorum Poſſeſſionem *edictalem & decretalem.*

Decretalis eſt, quæ non conceditur absque cauſæ cognitione aliquali, & inter-

E) Modo teſtator, ſi *minimam capitis deminutionem* paſſus, *de nouo* voluntatem ſuam declaret, quod teſtamentum ante adrogationem conditum valere debeat. Vid. AVCTOR *Doctr. Pand. Tit. de B. P. ſec. tabb. §. 2.*

F) Legendum: *Exerc. 37. th. 52.* Plures caſus enarrat B. STRYK. *de Succeſſ. ab inteſtat. Diſſ. 9. cap. 4.*

fuit, vbi quidem vocabula alia atque alia deprehenduntur, ſenſus tamen vbique idem eſt.

Et cum præterea hodie liberi emancipati, in quorum gratiam prætor principaliter bonorum poſſeſſionem introducebat, cum ſuis per *Nou. 118*. ratione ſucceſſionis exæquati ſint, & ſic auxilio prætoris non amplius indigeant, hinc exiguus quoque hodie præſentis noſtræ diſtinctionis vſus erit. Pauci excipiuntur caſus, vbi adhuc dum bonorum poſſeſſione opus eſt, quamuis nomen non adhibeamus, ſcilicet (1) quando quaſi poſthumus decedit iterum, viuo adhuc teſtatore, cuius teſtamentum per hunc poſthumum ruptum erat: (2) quando teſtator, qui capitis diminutionem paſſus, & ſic teſtamentum irritum factum

ditatem iam *poſſidet*, fruſtra agit hereditatis petitione, quum ipſi obſtet exceptio: *Intus habes quod petis*, imo nec *aduerſarium* habere poteſt. Longe aliter ſeſe res habet in Bonorum Poſſeſſione, quam petere poſſum, *etſi nihil mihi abſit;* petitur enim propterea, vt *iuſte* poſſideam, & ne mihi bona *auferri poſſint*. B. STRYK. *de Succeſſ. ab inteſtat. Diſſ. 9. cap. 1. §. 20.*

ctum erat, in integrum reſtituitur: *E)* (3) quando præteritus non impugnat teſtamentum: (4) quando heres, ſub conditione inſtitutus, ea pendente, poſſeſſione hereditatis perfrui vult: (5) quando liberi, repudiata paterna hereditate, auitam ſolam adire volunt: (6) quando coniux ſuperſtes, deficientibus defuncti coniugis cognatis, ad integram hereditatem adſpirat, de quibus caſibus fuſe agitur Struu. *S. I. C. Exerc. 38. theſ. 42. F)* quo nos breuitatis cauſa remittimus.

DISTINCTIO II.

Inter Bonorum Poſſeſſionem *edictalem & decretalem.*

D*ecretalis* eſt, quæ non conceditur absque cauſæ cognitione aliquali, & inter-

E) Modo teſtator, ſi *minimam capitis deminutionem* paſſus, *de nouo* voluntatem ſuam declaret, quod teſtamentum ante adrogationem conditum valere debeat. Vid. AVCTOR *Doctr. Pand. Tit. de B. P. ſec. tabb. ſſ. 2.*

F) Legendum: *Exerc. 37. th. 52.* Plures caſus enarrat B. STRYK. *de Succeſſ. ab inteſtat. Diſſ. 9. cap. 4.*

terpoſito poſtmodum decreto, vi cuius bonorum poſſeſſio petenti obuenit. Huc pertinet *Carboniana* bonorum poſſeſſio, de qua ſub *tit. ff. de Carbon. Edict.* nec non ea, quæ *ventris nomine* dicitur, de qua eſt *tit. ff. de ventr. in poſſeſſ. mitt.*

Edictalis vocatur, quæ absque vlla cauſæ cognitione *G)* de plano petitur atque conceditur. Quemcunque enim effectum *lex ciuilis* habeat *intuitu ſuorum:* ille quoque *emancipatis*, &c. obueniebat ex *edicto prætoris*, hæc duo enim, lex & edictum, nudo nomine differebant, non re: prætor enim, quamuis videri nolebat, quod leges conderet, vnde nomine edicti vtebatur, hisce tamen edictis ſuis eandem vim tribuebat, quæ vnquam alias ex legibus profluere poterat, conf. *§. 7. I. de I. N. G. & C.* ergo, quemadmodum ſui & reliqui agnati non opus habent decreto iudiciali, iuxta legis ciuilis veteris diſpoſitionem: ita nec emancipati & cognati ex diſpoſitione edicti prætorii.

Tribuit quoque hæc *edictalis effectum perpetuum*, non minus, vt ea ſucceſſio, quæ ex lege ciuili defertur. *Decretalis* e contrario

G) Ita regulariter. Nonnunquam tamen cauſſæ cognitio requiritur, ſi forte *contradictor exiſtat.* WISSENBACH. *ad ff. part. 2. Diſp. 11. §. 4.*

trario effectum ſaltem *temporarium* habet. Filius enim impubes, cui poſt mortem patris quæſtio circa ſtatum & ſucceſſionem mouetur, v. g. quod ſit ſuppoſititius, adulterinus, &c. quamuis huic bonorum poſſeſſio ex Carboniano edicto deferatur, non tamen propterea certus eſt, quod ea poſſeſſione certo & ſemper ſit fruiturus, quia omnia dependent ab euentu futuri Proceſſus ſuper quæſtione ſtatus, qui vsque ad adeptam pubertatem differtur, v. omnino *l. 3. §. 5. ff. de Carbon. Edict. H)* Ita quoque quamuis venter bonorum poſſeſſionem ex decreto prætoris conſequatur, non tamen propterea ſemper eandem retinet, ſed videndum eſt, an partus viuus naſcatur, nec ne, item quoad bona feudalia, an maſculus naſcatur, an filia, &c.

DIST.

H) Habetur heic elegans exceptio: Niſi pupilli *interſit*, vt controuerſia hæc *mox ventiletur* ac diſceptetur, e. g. ſi probationes in promtu ſint, quibus contradictorum calumnia elidi poſſit, & metus ſit, ne, ſi cauſa differatur, pupillus poſtea illis excidat.

DISTINCTIO III.

Inter Bonorum Poſſeſſionem edictalem *ordinariam* & *extraordinariam.*

De *ordinaria* hactenus, quæ ex *certa edicti parte*, *certis perſonis* & *certo etiam ordine* conceditur, v. g. primo liberis emancipatis, deinde ipſorum parentibus, denique reliquis cognatis. *1)*

Extraordinariam vocant, quæ *ex nouis LL.* originem ſuam habet, & *nec certis perſonis*, *nec certo ordine*, ſed prout æquitas hoc ſuadet, defertur. Egregium exemplum in *l. 4. ſ. f. iunct. l. 5. ff. de bon. poſſ. contr. tabb.* deprehenditur, vbi caſus talis eſt: Condit aliquis teſtamentum, & præterito eo, qui in vtero adhuc erat, filium eman-

1) Diſtinctius, ni fallor, res ita proponi poteſt, quod Bonorum Poſſeſſio *ordinaria* deferatur vel *ex teſtamento*, vel *ab inteſtato:* ex teſtamento, vel *ſecundum tabulas*, omnibus iure ſcriptis heredibus, vel *contra tabulas*, liberis præteritis, *ſ. 1. I. h. t.* ab inteſtato, ex edicto: Vnde liberi, Vnde legitimi, Vnde cognati, Vnde vir & vxor. Vid. *Lib. 38. ff. Tit. 6. 7. 8. 11.*

emancipatum heredem inſtituit, hic autem antequam conſtat, an naſciturus ſit ille præteritus, decedit, hereditate nondum adita, vel bonorum poſſeſſione nondum petita, quippe quam interim petere non poterat. Quæritur, annon heredes illius filii emancipati adhuc ad bonorum poſſeſſionem ſint admittendi? & affirmatur hæc quæſtio. Referri huc a quibusdam ſolet *K)* ſucceſſio, quæ per ſtatutum alicui adſignatur, v. g. quod maritus in Saxonia res mobiles vxoris defunctæ capiat, v. Fr. de Barry *de ſucceſſ. teſt. & inteſt. lib. 11. tit. 6. n. 3.* & alii apud Struu. *Exerc. 37. theſ. 83.* ſed rectius B. Stryk. exiſtimat *in not. ad Lauterb. tit. de bon. poſſeſſ. voc. exempla*, hanc ſucceſſionem magis ciuilem eſſe; *L)* & videtur ſententia Franciſci de Barry, aliorumque, adhuc ex erroneo illo veterum ſuppoſito profluxiſſe, ac ſi noſtri Duces & reliqui ſtatus cum magiſtratibus Romanis optimo iure conferri poſſint.

Iuterim.

K) Rectius huc referunt remedium ex *l. fin. C. de Edict. D. Hadrian. tollend.* STRAVCH. *Diſſert. Iuſtin. 11. §. 36.*

L) Quia Principes ac reliqui Status imp. in ſuis territoriis vtique poteſtate legislatoria gaudent.

Interim quoad effectum inter ordinariam & extraordinariam bonorum poſſeſſionem nihil intereſt.

DISTINCTIO IV.

Inter Bonorum Poſſeſſionem *cum re & ſine re.*

Placet hanc diſtinctionem verbis Struuii *Exerc. 37. th. 11.* explicare. Bonorum poſſeſſio *cum re* eſt, qua ipſum ius hereditarium prætorium ita quis acquirit, vt ſine vlla ſuſpenſione aut obſtaculo illo perfrui poſſit. Bonorum autem poſſeſſio *ſine re* vocatur, quando quidem alicui ius hereditarium & titulus heredis tribuitur, ſed propter incertum concurrentem euentum in ſuſpenſo eſt, an poſſit illo reuera vti, nec ne. Si euentus optatis reſpondeat, erit tunc bonorum poſſeſſio cum re, ſin vero propter inſequentem caſum non poſſit frui, erit ſine re. Ita Struuius ſatis clare, quamuis pleraque exempla, ad quæ prouocat, paulo obſcuriora eſſe videantur. Addi merentur verba B. Strykii *in not. ad Lauterb. tit. de bon. poſſeſſ. verb. ſine effectu*, vbi ita: Bonorum poſſeſſio *ſine re* fit *ſaluo iure alterius, potius ius prætendentis*, & hinc effectus ſuſpenditur, & eo fine tantum fit, ne mihi præiudicaſſe videar. Optimum exem-

emplum eſſe videtur, quod & Struuius *d. l.* & Lauterbach. *ad tit. de bon. poſſeſſ. in fin.* ex *l. 2. C. de inoff. teſtam.* adducunt, vbi filius de inofficioſo teſtamento acturus, ſtatim ab initio bonorum poſſeſſionem impetrauerat, attamen ſine re, *inciuile enim eſſe* dicunt Impp. Seuerus & Antoninus, *ſcriptis heredibus auferri poſſeſſionem. M)* Ergo bonorum poſſeſſio ſine re tribuit ius poſſidendi in euentum proceſſus moti, non autem præſentaneam & actualem poſſeſſionem.

Quicquid vero huius ſit, ego, ſi ad vſum reſpicio, eo fere adducor, vt cum Fr. de Barry *de ſucceſſ. teſt. & inteſt. lib. 18. tit. 2. num. 5.* talem bonorum poſſeſſionem ſine re in iudiciis noſtris non obſeruari *N)* ſtatuam.

LIB.

M) Sermo heic eſt de filio *emancipato*, eoque *exheredato*, qui non poterat adnoſcere b. p. contra tabb. *L. 8. L. 10. ∫. 5. ff. de Bon. poſſ. contra tabb.* ſed prius hanc b. p. ſine re, *litis ordinandæ gratia*, impetrare, & deinde *querelam inofficioſi* intentare debebat. *d. L. 8. L. 23. pr. ff. de inoff. teſtam. L. 2. C. eod.* Add. LVCAS van de POLI *de Exheredat. & Præterit. cap. 81. §. 19. ſeq.*

N) Filius enim *emancipatus* ſecundum Ius

LIB. XXXVII. TIT. VI.

De Collatione.

DISTINCTIO I.

Inter Collationem *realem* & *cautionalem.*

R*ealis* ſit ex præſenti, vt ſcilicet omnia ſtatim ſingulorum heredum intuitu, ad æqualitatem redigantur. *Cautionalis* autem tunc ſolummodo locum habet, *quotiescunque adhuc dubium eſt, an & quantum ab vno alteroue ex coheredibus conferendum ſit*, v. g. quando coheredes prætendunt, Caium, viuo patre, aliquot centum ab eodem percepiſſe, Caius autem hoc negat, & ſic præuia liquidatione, quæ nunc in præſenti ſtatim expediri nequit, opus eſt, v. *l.1. ſ.11. ff.b.t.*

DIST.

Nouellarum *æque vt ſuus*, ſuccedit, & ſic ſi exheredatus, pariter vt *ſuus* teſtamentum impugnare poteſt, vel *querela nullitatis*, (ſi cauſſa exheredationis non ſit *iuſta*) vel *querela inoffícioſi*, (ſi cauſſa ſit iuſta, ſed ab herede ſcripto *probari nequeat.)* B. STRYK. *Vſ. mod. ff. b. t. ſ. 6.*

DISTINCTIO II.

Inter Collationem realem *veram* & *quaſi*.

Vera eſt, quando actu confertur res ipſa accepta, *quaſi* autem, quando tanto minus ex hereditate capitur, *v. l. 1. §. 12. ff. h. t.*

Prior toties requiritur, *A) quoties ſpecies aliqua conferenda*, quæ affectionem recipit,

A) Vulgo DD. rem ipſam acceptam *in natura*, vt aiunt, conferendam eſſe ſtatuunt, pro qua ſententia roboranda LAVTERBACH. STRVVIVS, aliique ad *l. 1. pr. l. 3. ſ. 3. h. t. l. 11. C. eod. l. 2. ſ. 2. ff. de R. C.* prouocant, quæ tamen, inſpectione docente, hanc quæſtionem *ſpeciatim* prorſus non adtingunt. Alium adhuc textum excitat BRVNNEMANNVS, nimirum *l. 5. C. h. t. ex qua*, inquit *in Commentar. ad d. l. n. 3. colligitur, rem ipſam conferendam eſſe, nec ſufficere, ſi eius æſtimatio conferatur; nam ſi æſtimatio poſſet regulariter conferri, non eſſet id hic ſpeciale in dote marito data nondum reſtituta.* Mox tamen

cipit, & ſic a quolibet ex coheredibus deſideratur, vnde forte decertare volunt, cui-
nam

cum FRANCISC. de BARRY hanc adſertionem temperat, ac regulam illam fallere cenſet, 1) in libris ſcholarium, 2) in re alienata, quæ conferri debebat, 3) in re æſtimato in dotem data, 4) in ſpecie *d. l. 5.* ſi dos ad maritum adlata. Pro contraria ſententia fuſe propugnat B. STRYK. *de Succeſſ. ab inteſtat. Diſſert. II. cap. 5. § 4. ſeqq.* in quam etiam deſcendit HVBER. *Prælect. ad ff. h. t. §. 6. vers. Vnde colligitur, non præciſe res ipſas,* cetera, quin & ipſe, licet titubanter, BRVNNEM. *Repetit. Paratit. Weſenbec. h. t. Q. 17.* cui & ego meum qualemcunque calculum adiicio. Quid enim ſibi volunt verba VLPIANI *in l. 1. §. 12. ff. h. t. Sed & ſi tantum forte in bonis paternis emancipatus remittat, quantum ex collatione ſuus habere debet: dicendum eſt, emancipatum ſatis contuliſſe videri.* Quem textum cum VINNIO de *coheredibus conſentientibus* exponere, nimis frigidum. Adcedit, quod edicto Prætoris, æqualitati inter libb. ſtudenti, abunde ſatisfiat, ſi filius, qui conferre debet, tanto minus ex reliquis bonis capiat. Et parum bene diſſentientium
DD.

nam illa ſit obuentura. *Poſterior* autem ſufficit, *ſi quantitatis collatio exigitur*, quæ pecu-

DD. doctrina cohæret, dum magno conatu ſtudioque rem ipſam conferendam eſſe vrgent, inſimul tamen liberam alienandi facultatem filio largiuntur; hoc pacto enim ipſam regulam euerti, ac neceſſitatem actualis collationis eludi, quis non videt? Reſtat, vt de *l.5. C.h.t.* quam BRVNNEM. opponit, diſpiciamus. Species L. hæc eſt: Filia nupta, patre ab inteſtato defuncto, fratri conferre debebat, quærebatur, num ad realem *veramque* collationem inſtituendam dos a marito repeti poſſet? Reſcribit Imp. GORDIANVS dotis repetitionem locum haud habere, quum filia eo minus in partem delatæ ſucceſſionis auferre poſſit. Ratio decidendi in hoc textu non illa adfertur, quod fauore dotis, vel mariti, cui dotis dominium quæſitum, regula, quæ ipſam rem conferri iubet, heic officium perdat, ſed, quod non opus ſit collatione reali, eaque vera, quum filia tanto minus ex bonis paternis capere poſſit. Vnde tantum abeſt, vt textus ille noſtræ aduerſetur ſententiæ, vt potius egregie eandem firmet

peculiarem affectionem non recipit, & propterea heredum nihil intereſt, an ipſa illa quantitas iterum adferatur, an vero coheres, qui eam accepit, tanto minus in rebus aliis eiusdem generis capiat, vid. *Doctrin. ff. h. t. ſ. X.*

LIB.

atque ſtabiliat. Meretur heic adſcribi elegans locus ex MEVIO *part. 1. Dec. 86. n. 3. Præterea*, inquit, *etſi apertum ſit, quid & quantum conferri debeat, ſi tamen & non incertum, in hereditate ſupereſſe, vnde æqualia aliis eueniant, non eſt neceſſe ad realem collationem aut depoſitionem progredi, ſed ſufficit, tantum ex iſta, quantum ſatis eſt, aliis cedi, aut adiudicari, ſeu, eo minus in partem ſucceſſionis partis auferri.* Et in *not. ad d. Dec. n. 3. Sic plerumque*, inquit, *collatio fit, vt minus accipiatur, non vt aliquid detur.* Cui ſententiæ quoque *praxin* fauere, admonet STRYK. *Vſ. mod. ff. h. t. ſ. 9.* & ipſe LAVTERBACH. *Diſp. de Dotis Collat. Part. 1. ſ. 53. n. 7. ſeq.*

LIB. XXXIX. TIT. I.

De Operis Noui Nunciatione.

DISTINCTIO I.

Inter Nunciationem *publicam*, & *priuatam*.

Publica (hodie maxime frequens, quia priuatam parum curant nunciati,) fit publice coram magiſtratu, qui noui operis continuationem per nuncium, vel per literas, interdicit, *priuata* autem priuata autoritate expeditur, ad quam eo melius probandam, teſtes, (vel notarius etiam ſimul cum illis adhiberi ſolent.

Vſum in eo ponunt, quod per *publicam* alteri dominium in fundo illo, in quo nouum opus molitur, non concedamus, *l. 5. ſ. 10. ff. h. t.* quod tamen interdum per priuatam fit, iuxta diſtinctionem mox ſequentem.

DISTINCTIO II.

Inter Nunciationem priuatam *realem* & *verbalem*.

Verbalis ſequentes formulas ſuppeditat Petrus Friderus, Mindanus, *d. Mandat. lib. 2. cap. 30. num. 11.* *Nuncio, denuncio, probibeo, interdico, præmoneo, deprecor, ne quid noui operis faciatis, rogo, vt abſtineatis, nihil moliamini*, &c. Ich will dafür gebethen haben, ich bitt euch des Wercks zu enthalten, davon abzuſtehen, ich will euch gewarnet, gewarſchauet haben, &c. & ſi *operariis* nunciatur, hanc adducit Brunn. *ad l. 5. ff. h. t. n. 2.* Wo ſie ehrliche Meiſter wären, ſolten Sie inne halten, bis zur Richterlichen Entſcheidung. Sed quæritur: *numne etiam per modum proteſtationis fieri poſſit?* Negat quæſtionem idem Friderus, & hac proteſtatione non obſtante, ædificantem pergere poſſe aſſerit, ſuo tamen periculo, vt ſcilicet, quando proteſtans ius ei non fuiſſe ædificandi docuerit, omne opus demoliri iterum cogatur.

Hanc ſuam aſſertionem vt ex legibus ſtabiliret, *ad l. 5. §. 7. ff. h. t.* prouocat, vbi Vlpianus; *Si quis*, inquit, *ipſi prætori velit opus nouum nunciare, debet, vt interim teſtetur, non poſſe ſe nunciare: & ſi nunciauit poſtea,*

by Google

poſtea, *& quod retro ædificatum erit*, *deſtruendum erit*, *quaſi repetito die nuntiatione facta.* Ego hic ne minimum quidem deprehendo, quod pro ſtabilienda hypotheſi Frideri adduci queat. Vlpianus de caſu plane ſingulari loquitur, ſi quis *ipſi prætori* velit opus nouum nuntiare, prout etiam obſeruauit Gothofredus *ad d. l.* hic dicit Vlpianus nuntiationem locum non habere, quia prætores & omnes magiſtratus maiores, durante officio, in ius vocari non poterant; nuntiatio autem, licet in ſe ſit extraiudicialis, ad iudicia tamen tendit, Gothofr. *cit. loc.* Ergo, ne interea præiudicium mihi inferatur, Vlpianus conſilium ſuppeditat, vt ſcilicet per proteſtationem ius meum mihi conſeruem. Ex quo iuxta mentem Frideri iam ita inferendum eſſet: *Si is*, *qui durante officio ipſi prætori non potuit nouum opus nuntiare*, *per proteſtationem ſibi debet proſpicere*, ergo ſequitur exinde, *quod noui operis nuntiatio a nemine per modum proteſtationis fieri poſſit.* Peto probationem conſequentiæ.

Realem per manum, id eſt, lapilli ictum *A)* (ſiue iactum) fieri, aſſerit idem Vlpia-

A) Verba hæc: *id eſt*, *per lapilli ictum*, in *d. l. 5. §. 10.* gloſſam imperiti interpretis eſſe, cenſet HOTMANN. *Obſeruat. Lib. 4.*

Vlpianus in *cit. l. 5. §. 10. ff. h. t.* Sed quid hoc eſt, *lapilli iactus?* Friderus *loc. cit. n. 12.* ita explicat: *Per iactum lapilli ſiue per manum nunciatio fit, quando pars per ſe, vel alium ad hoc legitimatum, coram Notario & teſtibus, ad minimum duobus, nouum opus, addita ſimul cauſa, puta dominii, ſeruitutis, vel damni, fieri prohibet, inque eius rei ſolenne teſtimonium, lapillum vnum, vel ſi placet & alterum, ex ipſo opere, vel aliunde aſſumtum, in locum vel opus controuerſum proiicit, cum teſtium appellatione, & notarii requiſitione, vt ſuper facta ſolenni nuntiatione iactuque lapilli inſtrumentum vnum, aut plura, in eorum, quæ facta ſunt, fidem atque memoriam conficiat.* Ita

cap. 2. cui pollicem premit SCHILTER. *Prax. Iur. Rom. Exerc.* 42. *§.* 16. quum inter nunciationem, quæ *manu*, & quæ per *lapilli ictum* fit, hoc diſcrimen intercedat, quod *illa* vim *veram*, eamque defenſiuam, aduerſus vim mihi in meo ſolo illatam, continuerit, *hæc* vero *ſollemnitas* ſeu *ſymbolum* ipſius nunciationis priuatæ fuerit, *ſine vi factæ*. Add. GOTHOFRED. *in not. ad d. l. 5. §. 10. lit. R.* Ex quo ſimul dubia redditur ſententia BRVNNEMANNI de iactu lapilli, ab AVCTORE collaudata, quum *cæmenta* lapilli nomine non veniant.

Ita. Friderus. Mihi tamen magis placet opinio B. Brunnemanni in *Comm. ad d. l. 5. ff. b. t. num. 10.* qui iactum lapilli *de materiæ ad ædificandum paratæ disiectione* intelligit, quæ ſententia priori ex ea cauſa præferenda eſſe videtur, quoniam nunciatio quæcunque ita comparata eſſe debet, vt nunciatus ex meo facto clare colligere poſſit, quidnam per illud factum intenderim. At vero, ſi, vnus alterue lapillus abſente nunciato in locum vel opus controuerſum proiicitur, & nunciatus deinde hunc lapillum inuenit, an exinde clare colligere valet, in quem finem hæc proiectio facta, aut annon poteſt credere, lapillum eum forte fortuito in illum locum proiectum eſſe? At vero, ſi materia ad ædificandum parata disiicitur, nunciatus ſuperueniens ſat liquido finem huius disiectionis colligere poterit.

Quoad effectum de iure Romano ita tenendum: ſi nunciatio eſt *verbalis*, tunc fatemur eo ipſo, fundum in quo opus nouum exſtruitur, iure dominii ad nunciatum pertinere, & ipſum aliquid ſaltem contra ius ſeruitutis in eo fundo nobis competens, ſuſcipere, quo ipſo poſſeſſionem amittimus, & alterum poſſeſſorem facimus, *d. l. 5. ſ. 10. ff. b. t.* Quod ſi vero *realis* eſt nunciatio,

tunc

tunc poſſeſſionem non amittimus, *B)* nec dominium loci controuerſi nunciato tribuimus, *d.l.5. ſ.10.*

Ita

B) In eruenda differentiæ ratione DD. admodum ſe torquent. GLOSSA *ad l.1. ſ.6. ff. h.t.* hanc adfert: *quia meticuloſus videor, & quaſi poſſeſſionem deſerere, ſecus vbi audacter per iactum lapilli, vel prætorem.* HAHN. *ad Weſenbec. h. t. n. 9.* hanc expromit, *quod, qui verbis nuntiat, videatur de iure ſuo dubitare, vt proinde recte dicatur eum conſtituere poſſeſſorem, cui nuntiatum.* Aliter poſt DVARN. VAVD. BACHOV. philoſophatur WISSENBACH. *ad ff. part. 2. Diſp. 15. §. 8. Qui nouum opus,* inquit, *nuntiat, accepta ſatisdatione ius poſſeſſionis amittit, & in aduerſarium transfert, tunc quaſi voluntate nuntiantis, cui ſatisdato cautum eſt, incipit ædificator poſſidere, eſtque ſatisdatio pro poſſeſſione; per prætorem autem vel iactum lapilli ædificare probibitus, tametſi ſatisdare paratus ſit, tamen ei interim ædificare haud licet, nec enim illud cautum vllo iure reperitur.* A qua ſententia non multum abludit SCHILTER. *dict. Exerc. 42. §. 17.* Denique HILLIGER. *in Donell. enucl. Lib. 15. cap. 45. lit. R.* ita rationes ſubducit, *quod verbis nuntians ſuo nomi-*

Ita apud Romanos. Sed quid moribus noſtris obtinet? Adlatam differentiam in praxi parum obſeruari, nec in decernendis proceſſibus attendi, teſtatur cit. Friderus, Mindanus, *loc. alleg. n. 20.* inque eam rem multa exempla adduci poſſe aſſerit. Et cum præterea nunciationes priuatæ hodie rariſſime fiant, cum vbique fere iudex ſtatim adiri ſoleat ab eo, qui nunciationem intendit, hinc adſtruere non dubito, præſentem diſtinctionem exiguum admodum in praxi vſum habere. add. Carpz. *l. 1. Reſp. 6.*

LIB.

nomine, ſit ſimilis ei, qui iudicium incboat, eoque ipſo quodammodo ſe actorem conſtituit, & conſequenter reum poſſidere fatetur. At lapilli iactu probibens, facto obſiſtit, ſuamque ſibi poſſesſionem ſeruat. Et quum per prætorem probibitio ſit, prætor ipſe ſuo officio opus inbibet. Vides *Lector*, omnia eſſe incerta. Mihi, ſaluo rectius ſentientium iudicio, ſententia HILLIGERI omnium vero videtur ſimillima.

Digitized by Google

LIB. XXXIX. TIT. V.

De Donationibus.

DISTINCTIO I.

Inter Donationem *abſolutam & remuneratoriam.*

Differunt hæ duæ ſpecies diuerſis modis. Donatio *abſoluta*, ſi 500. ſolidos excedit, *actis inſinuari debet*, §. 2. *I. de donat.* vt ſcilicet iudex videre poſſit, annon forſan ea ex prodigalitate in hominem indignum conferatur; ad donationes enim, & quidem in ſpecie ad eas, quæ maximam quantitatem continent, homines alias procliues eſſe non ſolent. At donatio *remuneratoria* ob ceſſantem illam rationem, inſinuatione iudiciali non indiget, modo benemerita, ſiue cauſæ donationis, in ſpecie exprimantur, prout fecit Aquilius Regulus in *l. 27. ff. h. t.* ibi: *quoniam & cum patre meo ſemper fuiſti, & me eloquentia & diligentia tua meliorem reddidiſti, dono & permitto tibi habitare in illo cœnaculo, eoque vti;* vel modo donatarius poſtea merita probare poſſit, v. Mynſing. *Cent. 4. Obſeru. 75. & 88.* Dion. Gothofred. *in not. ad d. l. 27.*

De

Deinde donatio *abſoluta* multis modis *reuocari poteſt*, vtpote ſi ingratus fuerit donatarius, propter cauſas in *l. fin. C. de reuoc. donat.* enumeratas, item propter ſuperuenientiam liberorum, *l. 8. C. eod. A)* item ſi legitima liberorum *B)* læſa, *tot. tit. C. de inoffic. donat.* quæ omnia in donatione *remuneratoria* ſecus ſe habent.

Inter coniuges prohibita eſt donatio *abſoluta*, ne mutuato amore inuicem ſpoliarentur, *l. 1. ff. de donat. int. vir. & vxor.* vel ne concordia pretio conciliari videretur, *l. 3. pr. ff. eod.* quia ſæpe futurum eſſet, vt discuterentur matrimonia, ſi non donaret is, qui poſſet, iuxta *l. 3. eod.* at vero in donatione *remuneratoria* non adeſt eiusmodi ſpoliatio: E. etiam LL. prohibitio huc non pertinet, *v. l. 5. §. 16. ff. eod.*

Dona-

A) Hic textus etſi ſpeciatim de donatione *in libertum* collata, loquatur, vſuali tamen interpretatione ad *quascunque* donationes abſolutas extenſus. Vid. CARPZ. *Ipr. for. part. 2. Conſt. 12. def. 32.*

B) Vel *parentum*, imo & *fratrum*, ſi donatio in perſonam *infamem*, vel *leuis notæ macula laborantem*, collata, ad exemplum *querelæ inofficioſi teſtamenti*, *l. 4. & arg. l. f. C. de Inoffic. Donat.* LAVTERB. *Diſp. de Inofficioſ. Donat. §. 16. ſeq.*

Donationem *remuneratoriam non conferunt liberi*, per hanc enim inæqualitas inter liberos non inducitur, cuius euitatio eſt fundamentum collationis. Aliud in donatione *abſoluta*, vid. B. Stryk. *de ſucceſſ. ab inteſt. Diſp. XI. c. 4. §. 13. ſeqq.* Quamuis vero diſſentiant alii, & inter eos etiam Lauterb. *Comp. iur. ad tit. de collat.* exiſtimantes, quod abſoluta etiam ſiue ſimplex donatio conferri non debeat; eorum tamen opinio fundamento iamiam adducto contrariatur. Prouocat Lauterbach. ad *l. pen. §. 1. C. de collat.* Sed hæc, ſi oculi aperiuntur, eidem e diametro aduerſatur, *C)* modo quis inte-

C) Digitum procul dubio AVCTOR intendit ad verba finalia *d. l. 20.* ibi: *Nec recuſare collationem ex eo, quod ſimplex donatio non aliter confertur, niſi huiusmodi legem donator tempore donationis, ſuæ indulgentiæ impoſuerit.* Quibus ſecundum GOTHOFRED. *in not. ad d. l. lit. M.* vanum donatarii argumentum proponitur, ac reiicitur, vt ſenſus ſit: Donationem ſimplicem libb. factam vtique conferri debere, nec poſſe donatarium collationem declinare, ſub vano prætextu, quod citra patris expreſſam voluntatem, illa conferenda haud ſit. Verum, ſi dicendum, quod res eſt, verba *d. l.* ſunt *am-*

tegram eam perlegere velit. Equidem *l. 18. C. famil. bercifc.* ad quam porro prouocat,
ab

ambigua; nec illum, quem aduerſæ ſententiæ patroni inde eliciunt, ſenſum, reſpuunt, nimirum, quod donatio ſimplex tum demum conferenda ſit, ſi vel donator hoc expreſſe dixit, vel alter ex liberis dotem, donationemue propter nuptias accepit. Nec opus eſt arcem cauſſæ in hoc textu collocare, quum clarior ſuppetat in *l. 13. C. de Collat.* ibi: *Nam ſi is* (fundus) *filiæfamilias tibi conſtitutæ a patre, donatus eſt, cum ſorore patri communi ſuccedens, eum præcipuum habere contra iura poſtulas.* En luculentam ac rotundam deciſionem, quod liberi *ſui* donationem *ſimplicem* conferre debeant. Haud quidem me latet ſententia GLOSSÆ, ſecundum quam τὸ *donare* in *d. l. 13.* idem eſt ac *in peculium dare;* verum hæc expoſitio adeo dura, vt nec ipſi WISSENBACHIO, ceteroquin aduerſis partibus addicto, probetur, quum a proprietate verbi, nulla neceſſitate vrgente, recedendum haud ſit. Aliter rationes ſubducit Illuſtr. DN. de BERGER *Reſolut. Lauterb. tit. de Collat. Q. 2. p. 696.* hanc L. explicans de donatione *dotis cauſſa* facta, cum ob conditionem donatariæ, quæ eſt filiafamil.

 tum

ab initio valde obſtare videtur; aſt nuda verba non ſunt inſpicienda, ſed interpretatio ex ana-

tum quia donatio in ſpecie huius *l. 13.* mox ab initio valet, quum alioqui donatio ſimplex filio vel filiæfamil. facta, morte patris demum confirmetur. Mihi vero (quod pace tanti ICti, cuius immortalia in Iurisprudentiam merita perpetuo veneror, dixerim) hæc interpretatio *diuinatoria* videtur, partim, quod textus ipſe nullam prorſus dotis vel matrimonii mentionem faciat, partim, quod vero haud ſit ſimile, vnum idemque verbum, in vno eodemque textu, præſertim vix quinque lineolis conſtante, diuerſimode capi. Quum enim in *priori* Reſcripti parte agatur de fundo, donatione *poſt mortem patris* quæſito, in *poſteriori* de fundo, donatione *ante mortem patris* quæſito, ſane *ex natura oppoſitionis*, in vtraque ſpecie vocabulum donationis vno eodemque ſignificatu gaudere debet. Adcedit *fauor æqualitatis* inter liberos, cui noſtra L. interpretatio adprime ſuffragatur. Quamuis enim DN. de BERGER *loc. cit.* excipiat, *in donatione ſimplici ſubeſſe enixam donantis voluntatem, vt vni libb. præ ceteris benigne liberaliterque fiat*, reſpondetur tamen, do-

nata-

analogia iuris & aliis textibus iuris eſt aſſumenda, nec enim verba legis talem inter-
pre-

natario ſatis benigne fieri, dum *fructus ex re donata*, viuo patre, percipit, nec eos fratribus aliquando confert. Vnus reſtat ſcrupulus, qua ratione *d. l. 13.* cum *l. 18. C. Famil. erciſc.* componenda ſit. Heic ego non diffiteor, perplacere eorum ſententiam, qui hæc duo: *rem alienam comparare*, & *rem propriam donare*, multum inter ſe differre contendunt. In *l. 13.* agitur de re *patris propria* filiæfamil. donata, in *l. 18.* de *re aliena* a patre nomine filiæ (puta *emancipatæ*,) comparata; ſecundum *l. 13.* filia ad collationem obligatur, quia *a patre* fundum accepit, ſecundum *l. 18.* ad collationem non tenetur, quia non a *patre*, ſed *tertio*, rem accepit. Et licet pater rem emerit, tamen non ſuo, ſed *filiæ nomine* emit, & ſic non *patri*, qui *noluit*, ſed *filiæ*, mox a traditione dominium quæſitum. conf. *l. 1. & 6. C. Si quis ſibi vel alter.* Quare mortuo patre res illa non fit hereditaria, quia nunquam morientis fuit, ſed manet filiæ, cui ſemel dominium quæſitum. Neque hanc explicationem labefactat argumentum WISSENBACHII *ad ff. part. 2. Diſp. 12.* *§. 12.* DN. de BERGER *d. l.* qui συνονύμως

pretationem reſpuunt. Intelligo itaque *l. 18. C. fam. herc.* de eo caſu, ſi pater expreſ-
ſe

has loquutiones: *rem filiæ donare, rem filiæ nomine comparare*, capiendas eſſe autumant, *arg. l. 32. ʃ. 1. ff. de Donat. int. vir. & vxor.* Reſp. in prohibita *inter coniuges* donatione, ob rationem prohibitionis, idem eſſe largior, ſiue ex ſuis bonis maritus donet, ſiue aliunde rem pro vxore comparet; at in quibuscunque aliis iuris capitibus idem eſſe, nondum euictum, præſertim quum conclamatum ſit, rem *in locum pretii*, vel pretium *in locum rei*, regulariter haud ſuccedere. BEYER. *ad ff. tit. de Collat. poſit. 21.* Quamuis vero DN. de BERGRR *d. l.* etiam illud non contemnendum argumentum aduerſus collationem donationis ſimplicis exiſtimet, *quod donatio filiofam. facta morte patris confirmetur, ea vero quæ poſt mortem parentum libb. conſequuntur, non conferantur*, in promtu tamen reſponſio eſt ex *l. 25. C. de Donat. int. vir. & vx.* quod eiusmodi donatio *retrotrahatur* ad id tempus, quo facta, & ſic indolem ac naturam habeat *donationis inter viuos*, quæ vero *a viuis parentibus* adquiruntur, regulariter conferenda. Quam reſponſionem non infringit exceptio DN. de

BER-

ſe declarauerit, quod filia rem, quam pater eius nomine emit, præcipuam habere debeat,

BERGER *d. l. rationem iuris non permittere, vt retrotractio, quæ in fauorem liberorum introducta, in eorundem diſpendium detorqueatur, maxime, quum retrotractio illa quod ad fructus potiſſimum fiat;* quoniam de retrotractione *quod ad fructus* potiſſimum, ipſe lex ſilet, quin imo non *quod ad fructus* tantum, verum & *dominium* retrotractionem fieri, inde, ni fallor, patet, quod textus vtatur exemplo *ratihabitionis;* conſtat vero, ratihabitionem eius eſſe naturæ ac indolis, vt *ad principium actus* retrotrahatur, eique inde *ab initio* qualitatem ſuam imprimat, adeoque retro recurrat, vt ait *l. 16. ſ. 1. ff. de pignor. & hypoth.* & ratihabitione dominium retro fingitur adquiſitum, *l. 24. ff. de N. G.* Conſent. WISSENBACH. *ad ff. part. 1. Diſp. 47. ſ. 14.* HVBER. *Prælect. ad ff. Tit. de Donat. int. vir. & vxor. ſ. 5.* Adde, quod *inſinuatio* requiratur, ſi donatio *500 ſolidos excedat, d. l. 25. C. de Donat. int. vir. & vxor.* ex quo rurſus conſit, donationem hanc valere *inſtar donationis inter viuos*, & ſic quod ad *dominium* retrotractionem fieri. Inſimul dubia redditur adſertio DN. de BERGER,

 quod

at, vel etiam ita intelligi poteſt, prout eam explicat Barboſa, quod filia illam rem præcipuam habere, id eſt, ſorti non committere debeat in iudicio familiæ herciſcundæ, quod alias neceſſarium eſt intuitu omnium *ſpecierum;* quas liberi viuis parentibus acceperunt, v. ſupra *tit. de collat. Diſt. I.* Brunnemann. *ad d. l. 18. C. fam. herciſc.* qui tamen contrariam ſententiam defendere voluit, cui ex rationibus noſtris facile reſponderi poteſt.

Quamuis etiam *tutor donare non poſſit,* per *l. 22. ff. de admin. & peric. tutor.* hoc tamen iterum de donatione abſoluta intelligendum eſſe puto, non de remuneratoria, quippe in qua nulla bonorum diſſipatio adeſt, ſed quam quilibet paterfamilias, ex lege gratitudinis, ſuſcipere ſolet.

LIB.

quod filius hanc donationem *poſt mortem patris* demum adquirat, atque adeo a neceſſitate collationis liberetur; quoniam ea, quæ reuera *poſt mortem demum* valent, ac *poſt mortem adquiruntur*, e. g. donationes m. c. legata, cetera, inſinuatione haud indigent.

LIB. XXXIX. TIT. VI.

De Mortis Cauſa Donationibus & Capionibus.

DISTINCTIO I.

Inter Donationem *inter viuos* & *mortis cauſa.*

Differunt (1) *ratione modi contrahendi.* In donatione *inter viuos* nihil præter conſenſum requiritur, id eſt, nec teſtibus indigemus, niſi ad meliorem probationem, eſt enim pactum legitimum, quia *l. 35. C. de donat.* illud eousque confirmauit, vt actio exinde donatario competeret, vnde hodie etiam in claſſem contractuum conſenſualium referri poſſet. *A)* At

A) Controuerſia illa de *genere* donationis, (qua *conuentione* perficitur,) eſt mere theoretica, de qua tamen, quum AVCTOR eandem heic tangat, paucis agere libet. *Tres* DD. hac de re ſententias deprehendi. Alii pro *pacto legitimo*, alii pro *contractu conſenſuali*, alii denique pro *quaſi contractu*, propugnant. *Prima* ſententia vti multorum, ſi non plurimorum, DD.

At vero in donatione *mortis cauſa* quinque teſtes

DD. calculo comprobata, ita quoque veritati maxime conſentanea, per *l. 35. ſ. 5. C. de Donat. Nou. 162. cap. 1.* *Altera* CLARO *Recept. Sentent. Lib. 4. ſ. Donatio. Q. 1.* GOMEZIO *Var. Reſol. Tom. 2 cap. 4. n. 1.* HOTMANNO *Diſp. de Donat. omn. gen. cap. 1. in fin.* aliisque, probatur, quo minus tamen in eandem deſcendam, hæc obſtant; 1) quod donatio non habeat *nomen* ſeu *cauſſam*, 2) nec producat *actionem ſui nominis*, (*actionem* enim *donati* heic fingere incongruum, rectiſſime obſeruante B. STRYK. *de Action. forenſ. inueſtig. Sect. 1. Membr. 3. ſ. 25.* 3) contractibus *opponatur*, *l. 14. ff. de Precar. l. 58. ff. de Adminiſtrat. & peric. tutor.* 4) ſi citra ſtipulationem fiat, *condictionem ex Lege* pariat, *d. Nou. 162. cap. 1.* quam ex nullo contractu competere, conclamatum eſt. Neque ad rem facit ratio a GOMEZIO *d. l.* expromta, *quod remiſſa ſtipulatione, hodie nudo pacto, & ſic ſolo conſenſu partium perficiatur, L. Si quis argentum. C. de Donationibus. §. Aliæ I. eod.* Reſp. Quamuis *hodie* ex donatione pacto celebrata valida detur actio, ab vſu iuris tamen abhorret, omnem conuentionem, ad agendum efficacem, contractus no-

nomine inſignire velle, monente BACHOV. *ad Treutl. Vol. 1. Diſp. 6. th. 2. lit. D.* ſic enim & *pactum dotis*, *pactum hypothecæ*, erunt contractus conſenſuales. Ad LL. obſtantes, nimirum *l. 17. C. de Fid. inſtrum. l. 7. C. de His quæ vi metusue cauſſ. l. 8. C. de Præſcript. 30 vel 40 annor.* in quibus donatio *contractus* appellatur, haud difficilis eſt reſponſio, quod vocabulum: *contractus*, in *dd. LL.* latiſſime capiatur pro *actu obligationem quomodocunque inducente*, conf. *l. 20. ff. de Iudic.* non pro vero contractu, alioqui enim & precarium erit contractus, *l. 23. ff. de R. I.* teſtamentum, *c. 28. X. de Teſtib.* matrimonium. *l. f. C. de Repud.* Sequitur *tertia* PAGENSTECHERI *Sicilim. ad Lauterb. Manip. 2. §. 50.* qui genus donationis *quaſi contractum* conſtituit, quum heic adſit negotium honeſtum, quod neque contractum, neque delictum, vocare poſſis, ergo quaſi contractum, *arg. pr. I. de Obligat. quæ quaſ. ex contract.* Verum rectiſſime iam aliis obſeruatum, compilatores Inſtitutionem heic aliquid humani paſſos eſſe, ac dari vtique obligationes, quæ neque ex contractu, neque ex delicto, neque quaſi ex contractu, ſed *ex æquitate naturali*, L. ciuili adprobata, naſcuntur. Vid. B. STRYK. *de Act. forenſ. inueſtig. Sect. 1. Membr. 2. §. 1.* Deinde omnis

teſtes *B)* requiruntur, *l. fin. C. de donat. mort. cauſ.* & reliquæ ſolennitates, quæ in codicillis adeſſe debent, excepto eo ſolum, quod in codicillo non exigatur acceptatio legatarii, bene tamen in donatione mortis cauſa acceptatio donatarii, *C) v. l. 38. ibi: præſens præſenti ff. b. t.* & ergo hac parte dona-

quaſi contractus *ficto* ac *præſumto* conſenſu nititur, (quidquid etiam obnitatur PAGENSTECHER. *d. l.* inuita iuris analogia, quosdam quaſi contractus *vero conſenſu* conſtare adſerens, ac *fictum* & *tacitum* conſenſum parum ſubtiliter miſcens) donatio autem non *ficto*, ſed *vero* vtriusque conſenſu perficitur, atque adeo non eſt quaſi contractus.

B) Quocunque caſu vero *pauciores* teſtes ſufficiunt *ad teſtamentum*, illo etiam ſufficiunt ad *donationem m. c.* e. g. ſi parentes *libb.* qui donent, vel donatio fiat *tempore peſtis*, aut ad *pias cauſſas*. CARPZ. *Ipr. for. part. 3. Conſt. 1. def. 33.* Quinimo plane *nulli teſtes* requiruntur, ſi donatio fiat *iudicialiter, arg. l. 31. C. de Donat.* PEREZ. *ad C. b. t. n. 5.*

C) Valet tamen *ſine acceptatione*, in vim *legati*, ſi donator gaudeat *facultate teſtandi.* Vid. AVCTOR *Doctr. Pand. b. t. §. 4.*

donatio inter viuos & donatio mortis cauſa inter ſe conueniunt.

Differunt (2) *ratione effectus*. Scilicet ex donatione *inter viuos* conſequor ius præſens, licet executio dilata fuerit poſt mortem donantis, v. g. ſi quis dicat, *dono tibi centum thaleros*, (hactenus verba diſpoſitiua, & exinde deſcendens ius præſens): *ſed non habebis eos, niſi demum poſt mortem meam*, (hæc ſunt verba executioni adiecta,) aſt in donatione mortis cauſa ſpem ſaltem habeo, ſiue ius aliquod futurum, *v. g. dono tibi centum thaleros poſt mortem meam*, vel *ſi in hoc morbo occubuero*, (vbi & obligatio & executio ſuſpenſa eſt.)

Ex quo (3) differentia *ratione facultatis pœnitendi* profluit. Quicunque *inter viuos* donauit, ille ſtatim a momento donationis ſiue promiſſionis, firmiter obligatus eſt, quamuis etiam donationis executio ad annos aliquot, imo plane ad dies vitæ, dilata fuerit, quæ eſt natura omnium conuentionum. At vero donatio *mortis cauſa* eiusmodi præſentem obligationem nondum producit, ſed ſpem ſaltem, prout ſupra *ad tit. Quand. dies legat. vel fideic. ced.* dictum fuit. Ergo hæc mortis cauſa facta donatio quocunque tempore iterum reuocari poteſt, ſiue ea facta ſit cogitatione mortalitatis

in

in genere, ſiue intuitu inſtantis alicuius eiusque grauiſſimi periculi. *D)*

(4) Donare *mortis cauſa* poteſt *minor ſine curatoris conſenſu*, Rauchbar. *p. 1. qu. 31. num. 42.* Struu. *Ex. 40. th. 22. inter viuos* donare ei non permittitur. Ex hac ſiquidem læderetur, non autem ex illa.

(5) Donatio *mortis cauſa* licet 500 ſolidos excedat, *non tamen requirit inſinuationem iudicialem*, (exceptio eſt de iure Saxonico electorali in donatione omnium bonorum) *E)* Struu. *d. Ex. 40. th. 24.* aliud in donatione *inter viuos. F)*

(6) In

D) Imo hoc caſu ne quidem opus eſt reuocatione, ſed *ipſo iure* donatio reſoluitur, ſi donator illo periculo liberatus fuerit. Conſent. AVCTOR *Doctr. Pand. h. t. ſ. 5.*

E) Excipe donationem *omnium bonorum reciprocam inter coniuges*, quæ valida eſt, licet *extraiudicialiter* coram *quinque* teſtibus facta. CARPZ. *Ipr. for. part. 3. Conſt. 1. def. 8.*

F) De *iure Saxonico* donatio inter viuos rei *immobilis*, cuiuscunque valoris, non niſi coram illo iudice, *ſub quo res ſita*, inſinuata, valet CARPZ. *Ipr. for. part. 2. Conſt. 12. def. 19.* idem de *Iure Lubecenſi* obtinet MEV. *in Commentar. ad Ius Lubec. part. 1. Tit. 9. Art. 2. n. 25.*

(6) In donatione *mortis cauſa*, *ſi donatarius ante donantem moritur*, donatio intercidit, *v. l. 35. §. 4. l. 42. pr. ff. h. t.* at vero, quamuis in donatioue *inter viuos* executio, vel traditio in annos aliquot dilata, & donatarius ante illorum lapſum mortuus fuerit, donatio tamen ad liberos *G)* pertinet.

LIB.

G) Aliosue donatarii *heredes*. Plures ſuperſunt differentiæ, ab AVCTORE neglectæ, quas ſubnectere iuuat:

1) In donatione *m. c.* locus eſt *Falcidiæ, l. 2. C. de donat. m. c. l. 5. C. Ad L. Falcid.* (excipe de *Iure Saxon.* donationem *m. c. omnium bonorum iudicialiter* factam, *vid. not. ſupr. Lib. 35. Tit. 2. ad Diſtinct. 1. lit. A.* non vero in donatione inter viuos, *l. 27. ff. de m. c. donat.* ſi diſceſſeris a donatione *inter coniuges* morte confirmata. *l. 12. C. Ad L. Falcid.*

2) Donatio *m. c.* eſt *modus adquirendi dominium* ciuilis, h. e. *ipſo iure* dominium *ſpeciei* donatæ, *donatoris propriæ*, poſt huius mortem, in donatarium tranſit. *l. 1. ſeqq. ff. de Public. in rem act. l. vlt. C. h. t. arg. l. 80. ff. de leg. 2. l. 64. ff. de furt.* quod ſecus in *donatione inter viuos*, excepta donatione *Eccleſiæ* facta, *l. 23. C. de SS. Eccleſ.* & ſecundum DD. *donatio-*

ne

ne Principis. vid. DOMIN. CARD. TVSCH. *Pract. Concl. Tom. 2. lit. D. Concl. 602. n. 83.* ac quos refert & ſequitur BRVNNEM. *ad l. 15. C. de R. V. n. 5.*

3) In donatione *m. c.* locum habet *Ius adcreſcendi*, *l. vn. §. 14. de Caduc. toll.* ſecus in donatione inter viuos. Excipit DVARENVS *de Iur. adcreſc. Lib. 1. cap. 16.* donationem *a Principe* factam, per *l. vn. C. Si liberal. imp. ſoc. lib. X,* ſed magis eſt, vt dicamus, ad portionem deficientem ſocium vocari, non tam *iure adcreſcendi*, quam *ſucceſſionis.* CVIAC. *ad d. Tit.* ANT. PEREZ. *eod. n. 11.*

4) Secundum *Ius Saxonicum* bona immobilia *auita* ſine *conſenſu heredum deſcendentium*, in extraneum non poſſunt transferri, donatione *inter viuos*, bene tamen donatione *m. c.* Land-R. *lib. 1. art. 52.* CARPZ. *Ipr. for. part. 2. Conſt. 12. def. 8. n. 2.*

5) Mulier *Geradam* donatione *inter viuos* valide poteſt alienare, non donatione *m. c.* niſi *proxima cognata conſentiat*, per CONSTIT. SAXON. *14. part. 2.* ib. CARPZ. *def. 1. 2.*

6) Donatio *m. c.* valet inter *coniuges*, nec non *patrem & filiumfamil.* non vero donatio *ſimplex inter viuos*, *l. 9. ſeqq. ff. de Donat. int. vir. & vxor.*

7) Pro

DISTINCTIO II.

Inter Donationem *Mortis Cauſa* & *Morte confirmatam.*

Ne putes, hæc duo ſynonyma eſſe, & ratione effectus inter ſe conuenire, longe enim ab inuicem diſtant.

Scilicet donatio *mortis cauſa* dicitur, *quoties ſtatim ab initio negotii in ipſis verbis diſpoſitiuis mortis cogitatio*, (id eſt, mentio; nam ſola interna cogitatio hic non ſufficit) *iniicitur*; aſt vero in donatione *morte confirmata* eiusmodi cogitatio mortis ſub initium negotii non aderat, *ſed ex paciſcentium intentione ſtatim firma eſſe debebat*, non autem poterat, quamdiu viuebant, & ſic poſt mortem eorum robur ſuum demum

7) Pro donatione *m. c.* ſola conuentione facta, tacita hypotheca competit, arg. *l. 37. ff. & l. f. C. de Mort. cauſſ. donat.* CARD. MANTICA *de Tacit. & ambig. conuent. Vol. 1. Lib. 11. Tit. 12. n. 16.* BACHOV. *de Pignor. & Hypothec. lib. 1. cap. 10. num. 6.* quod ſecus in *donationibus inter viuos*, quæ ſecundum IMP. in *§. 2. I. de Donat.* non omnino (vel potius: *omnino non*, prout recte HOTMANN. *ad d. §. Enunc. 1.*) comparantur legatis.

mum conſequebatur. Exemplum eſt in *coniugibus*, quorum donationes pure & inter viuos factæ, nullius ſunt effectus, ſed ſemper a donante reuocari poſſunt, quod ſi vero ante mortem non fuerint reuocatæ, tunc defuncto ipſo conualidantur. Idem eſt, ſi *parentes liberis*, *in poteſtate exiſtentibus*, aliquid donent; quoniam & talis donatio ob vnitatem perſonæ, viuis parentibus, effectum non habet, ſed poſt mortem ſolummodo. Quemadmodum enim donatio coniugum defuncto donatore propterea ſubſiſtit, quia tunc amplius non adeſt ſpoliatio: ita ea, quæ inter parentes & liberos facta, ex hac cauſa valet, quia tunc vnitas perſonæ deficit, v. Lauterbach. *ad tit. ff. de donat.*

Vſus vero in hoc conſiſtit. Donatio *mortis cauſa*, prout paulo ante dictum, absque inſinuatione iudiciali ſubſiſtit, quamuis maximam ſummam contineat, donatio autem *morte confirmata* non item, ſed retrotrahitur ad primum ſuum initium, & propterea, ſi 500 ſolidos excedit, vltra hanc quantitatem absque facta inſinuatione, ſubſiſtere non poteſt, per textum expreſſum in *l. 25. C. de donat. int. vir. & vxor.*

Quoad *parentes & liberos in ſpecie* etiam hoc addere poſſes. Donatio *mortis cauſa* non confertur a liberis, quia hic conſtat,

ſtat, quod parentes voluerint, vt liberi rem donatam præ reliquis præcipuam haberent, *v. l. 16. C. de Collat.* donatio *morte confirmata* tamen conferenda erit, quia propter retrotractionem, ad donationes inter viuos pertinet. *v. ſupra Diſt. I. tit. præced.*

DISTINCTIO III.

Inter Mortis Cauſa *Donationem & Capionem.*

D*onatio* mortis cauſa *ex ipſis donantis bonis* ad donatarium peruenit; ſed mortis cauſa *capio* ſaltem *occaſione hereditatis & mortis teſtantis*, percipitur *l. 31. pr. ff. h. t.* vel, prout loquitur Marcellus in *l. 38. ff. h. t. Mortis cauſa donatur, quo præſens præſenti dat: mortis cauſa capi intelligitur, & quod non cadit in ſpeciem donationis.* Adiicit quoque ICtus exempla, v. g. cum teſtamento quis ſuo Pamphilum ſeruum ſuum liberum eſſe iuſſit, ſi mihi decem dederit, nihil mihi donaſſe videbitur, & tamen ſi accepero a ſeruo decem, mortis cauſa me accepiſſe conuenit. Idem accidit, quando quis heres inſtitutus, ſi mihi decem dederit: nam accipiendo ab eo, qui heres inſtitutus eſt, conditionis eius explendæ cauſa, mortis cauſa capio, add. *l. 8. ff. h. t.* quamuis interdum phraſis: *mortis cauſa*

capere, in nonnullis legibus, v. g. in *l. 18. pr. ff. h. t.* tam late ſumatur, vt mortis cauſa donationem quoque ſub ſe comprehendat.

In effectu fere conueniunt donatio & capio. Quemadmodum enim mortis cauſa donatio non computatur in Falcidiam, ita nec mortis cauſa capio, *v. l. 91. ff. ad L. Falcid. ibi: implendæ conditionis cauſa.* In quartam Trebellianicam autem vtrumque recte computatur, v. Struu. *Ex. 36. th. 31.* Hoc vnicum obſeruandum eſſe videtur, quod donatio mortis cauſa actus ſit peculiaris, præſentiam quinque teſtium, donatarii præſentiam *H)* & acceptationem eiusdem requirens, mortis cauſa capio autem eſt merum aliquod acceſſorium diſpoſitionis alterius principalis, quæ præſentiam atque acceptationem eius, in cuius fauorem tendit, neutiquam exigit.

NOVA

H) Imo ſufficit, modo donatarius abſens *per procuratorem* donationem acceptet, prout recte AVCTOR *Doctrin. Pand. h. t. §. 4.* vel *per epiſtolam.* LAVTERB. *Diſp. de Epiſtola cap. 5. §. 24.* Ad obſtantem *l. 38. ff. h. t.* ibi: *Nam m. c. donatur, quo præſens præſenti dat*, cetera, iam tum fuſe reſpondimus in *Diſp. de Negot. in perſon. propr. explic. cap. 3. §. 1.*

NOVA DISTINCTIO

Inter *Donationes m. c.* & *Legata*.

Donationes *m. c. fere* per omnia legatis exæquata eſſe, adfirmat Imp. *§. 1. I. de Donat.* vnde operæ pretium erit recenſere, quæ ſuperſunt, differentias:

(1) In *donatione m. c.* requiritur *acceptatio* ex parte donatarii, *ſupr. diſt. 1. h. t.* non vero in *legato*, *l. 77. §. 3. ff. de leg. 2.*

(2) Filiusfamil. de peculio *profectitio*, & *aduentitio ordinario*, *conſentiente* patre, de aduentitio *extraordinario* etiam *ſine eius conſenſu*, m. c. donare poteſt, *l. 25. §. 1. ff. de m. c. donat.* non *legare*, *arg. l. 2. ff. de leg. 1. l. 6. §. 3. ff. de Codicill.*

(3) Res *m. c. donata* etiam ab ipſo donatore præſtatur, *l. 5. §. 17. ff. de his quæ vt indign.* legatum, *qua tale*, ab herede. *§. 1. I. de legat.*

(4) Hereditate *non adita* corruunt *legata*, *l. 9. ff. de Teſtam. tutel.* quod ſecus in *donatione m. c.* arg. *l. 32. ff. de m. c. donat.*

(5) Legatum in *annos ſingulos* relictum *multiplex* eſt, & primi anni *purum*, reliquorum *conditionale*, *l. 4. ff. de ann. leg.* donatio vero m. c. in ſingulos annos facta, eſt *vna*, *l. 35. §. 7. ff. de m. c. donat.*

(6) Legata nonniſi in *teſtamento* & *codicillis* relinquuntur, donatio m. c. etiam *ſine his.*

(7) Legatum *liberatione a periculo* non protinus reſoluitur, quod ſecus in donatione m. c. ob *inſtans periculum* facta. §. 1. *l. de Donat.*

(8) Adcuſans teſtamentum vt *falſum* perdit *legatum*, non vero *donationem m. c.* *l. 5. §. 17. de his quæ vt indign.*

LIB. XLI. TIT. I.

De Acquirendo Rerum Dominio.

DISTINCTIO I.

Inter Res nullius *cenſura, facto, natura, tempore & caſu.*

Includuntur hæ diuerſæ ſpecies vulgatis verſiculis:

Cenſura, facto, natura, tempore caſu,
Res in nullius dicitur eſſe bonis.

Per res *cenſura* nullius intelligunt res diuini iuris, ſacras, ſanctas, & religioſas. Poſſent

ſent etiam in genere huc ea referri, quæ extra commercium poſita, v. g. rês publicæ *A)* &c.

Facto tales ſunt, quas dominus pro derelictis habet, eoque animo abiicit, vt iam a quolibet adprehendi poſſint.

Natura nullius ſunt feræ beſtiæ, & gemmæ.

Tempore nullius eſſe dicitur theſaurus, ſiue vetus depoſitio pecuniæ, cuius non extat memoria.

Denique *caſu* nullius in dominio exiſtit hereditas iacens, a momento, quo defunctus obiit, vſque ad illud momentum, quo heres hereditatem adit. conf. B. Stryk. *in not. ad Lauterb. h. t. ab initio.*

Ita quidem enumerantur diuerſæ ſpecies rerum, quas nullius eſſe dicimus, ſed tamen non ſunt eædem propterea eiusdem quoque indolis atque naturæ, vnde multum intereſt, vt accurate ab inuicem diſtinguantur.

Scilicet res *cenſura* nullius neque *actu* in dominio alicuius exiſtunt, nec etiam alicuius

A) Dubito, an res *publicæ* huc referri poſſint, partim quod in *pr. I. de R. D.* a rebus nullius ſeparentur, partim, quod vtique *in dominio* ſint *reipl.* Conf. AVCT. *Doctr. Pand. Tit. de Rer. Diuiſ.* §. 4.

cuius fieri *poſſunt*, *B)* obſtat enim legis prohibitio.

E contrario, quae *facto* nullius dicuntur, non ſunt quidem in praeſenti in dominio, *per occupationem tamen facile acquiruntur.*

Idem apud Romanos in rebus *naturae* nullius obtinebat, vbi quilibet facultatem capiendi feras beſtias habebat; ſed quoniam hoc moribus noſtris mutatum, hinc beſtiae illae

B) Ita ſecundum *Theologiam Ethnicorum*, qui res illas *Diis* ſuis dedicabant; ob quam dedicationem, tanquam patrimonio Deorum *priuatiue* adſcriptae, *diuini iuris*, & *nullius* dicebantur, adeo, vt a nemine mortalium adquiri poſſent. *Hodie* vero huiusmodi res non amplius *nullius*, & *diuini*, ſed *humani* iuris cenſendae, atque adeo res *ſacrae* ſunt in dominio cuiusque Eccleſiae particularis, tanquam vniuerſitatis, cuius vſibus illae deſtinatae, SCHILTER. *Inſtit. Iur. Canon. Lib. 2. Tit. 6. §. 1. & Tit. 7. §. 5.* de BERGER *Oecon. Iur. Lib. 2. Tit. 1. §. 2.* res *ſanctae* hodie ad res publicas referendae; res *religioſae* vero ſunt in dominio ac commercio priuatorum, ſed ad vſum ſepulturae reſtricto. STRYK. *de Cautel. Contract. Sect. 1. cap. 3. §. 12.*

illæ hodie ad res nullius amplius referri non poſſunt.

In rebus *tempore* nullius, dictum prædicatum: *nullius*, admitti quidem poteſt, *quantum actuale exercitium concernit*, quo reſpectu etiam applicare poſſes alterum illud: non eſſe & non apparere, ſunt ſynonyma; ſed *quantum ad ipſam proprietatem attinet*, theſaurus nullo modo ad res nullius pertinet. Cederet enim alias cuilibet occupanti, at vero contrarium, & quod detectus theſaurus domino fundi acquiratur, expediti iuris eſt.

Idem iudicium de rebus *caſu* nullius eſto. Nec enim & iacentem hereditatem occupare permiſſum eſt. Vnde durante deliberatione heredis nemo quidem adeſt, qui actu adminiſtret res hereditarias, proprietas tamen illi interim ſalua manet, qui poſtmodum hereditatem acceptat, & cuius acceptatio, ſiue aditio, ad momentum illud, quo defunctus mortuus eſt, retrotrahitur.

DISTINCTIO II.

Inter Acceſſionem *naturalem*, *induſtrialem*, & *fortuitam*.

Quoad diuerſum conceptum in theoria hæ tres ſpecies omnino ab inuicem differunt,

ferunt, *naturalis* enim ex ipſius naturæ operatione prouenit, homine vel nihil, vel parum cooperante, v. g. in alluuione, fœtu animalium, &c. at vero in *induſtriali* omnia ab induſtria humana dependent, v. g. in ſpecificatione, *C)* adiunctione, &c. in *fortuita* denique nec natura operatur, nec induſtria humana, ſed ex inſperato aliquid acquiritur, quo referunt theſauri inuentionem. Ita quoad diuerſum conceptum. Sed quoad effectum vnica ſaltem regula notari debet, *quod ſcilicet acceſſorium cuiuscunque generis, naturale, induſtriale, & fortuitum naturam ſui principalis ſequatur.*

DIST.

C) Vereor, vt ſpecificatio ad *adceſſionem induſtrialem* referri poſſit, quum in illa *vna tantum res* adſit, adceſſio autem *duas*, quarum *vna principalis*, præponat. HVBER. *Prælect. ad I. Tit. de R. D.* §. 43. Magis eſt vt pro *ſpecie occupationis* haberi debeat, quum id, quod factum eſt, ideo *facienti* concedatur, quia ante *nullius fuit*, (quum ne *fuerit quidem*) & tanquam *occupanti*, qui *ſuo nomine* & *b. f.* fecit. VINN. *ad* §. 25. *I. eod. n.* 1. 2. DONELL. *Enucl. lib.* 4. *cap.* 12. *lit. A.* ibique HILLIGER.

DISTINCTIO III.

Inter *Specificationem* & *Adiunctionem*.

Specificatio exinde cognoſcitur, ſi res aliqua, poſtquam induſtria humana acceſſit, *nouum nomen ſortitur*, v. g. quando ex lana pannum conficimus; at in *adiunctione idem nomen*, quod antea rei inditum erat, *permanet*, v. g. ſi adamantem Titii annulo meo includo. Ex quo patet, non eſſe ſpecificationem, ſi quis alienum frumentum excuſſit, prout quidem vult Tribonianus in §. 25. *I. de R. D.* hic enim nouum nomen frumento excuſſo non imponitur; & ergo rectius contrarium aſſeruiſſe Caium in *l.* 7. §. 7. *ff. de A. R. D.* cuius ſenſum in excerpendo non eſt aſſecutus Tribonianus.

Noua ſpecies per *ſpecificationem* effecta non indiſtincte acquiritur ſpecificanti, ſed tunc demum, *ſi partim ex propria, partim ex aliena materia* conſtat: aut quando materia mere eſt aliena, *ſi noua illa ſpecies non poteſt ad priſtinam materiam reduci*, ita enim veteres Sabinianos & Proculianos, de prærogatiua materiæ & formæ inter ſe ſubtiliter diſputantes, conciliat *d. l.* 7. §. 7. *ff. de A. R. D.*

In *adiunctione* autem res adiuncta communiter rei principali cedit, quod plurimis

exemplis illuſtrat Struu. *Ex. 41. th. 40.* Subiungi tamen hic meretur

DISTINCTIO IV.

Inter *Ferruminationem* & *Adplumbaturam.*

Ferruminatio vocatur, quando metalla eiusdem generis, formata vel non formata, *ſine interuentu vllius alterius materiæ, conſolidantur*, v. g. ſi ferrum ferro, per vim & efficaciam ignis iungitur, dicunt alicubi **zuſammen ſchweiſſen**: *Adplumbatura* autem eſt, quando duæ materiæ eiusdem generis, vel diuerſi, *per quoddam interueniens coagmentantur*, Struu. *d. Ex. 41. th. 44.* v. g. ſi plumbo, glutine, clauo, vel ſimili modo, brachium ſtatuæ, naui tabula, aſſer aſſeri, iungitur, quod vocant **das löthen, anlöthen, anleimen**, &c.

Siue vero per ferruminationem, ſiue per adplumbaturam res aliena meæ *tanquam acceſſorium* iungatur, eius dominium mihi ſtatim acquiritur. In eo tamen adhuc manet differentia, quod, ſi adiunctio *per ferruminationem* facta fuerit, res acceſſoria nec tunc vindicari, vel eius exhibitio peti poſſit, quamdiu principali cohæret, neque tunc etiam, quando ab eadem iterum ſeparata deprehenditur. At in caſu *adplumbaturæ* ad exhi-

exhibendum agi, & exhibitione facta, res ſeparata vindicari omnino poteſt. Rationem differentiæ in eo ponit Paulus in *l. 23. §. 5. ff. de R. V. quia ferruminatio per eandem materiam facit confuſionem: plumbatura non idem efficit*, & propterea actione in factum agendum eſſe dicit, ad pretium rei conſequendum.

Dixi autem, ſi res aliena meæ *tanquam acceſſorium* iungitur. Quod ſi ergo duæ res coniunctæ *æque principales*, v. g. ſi aſſer aſſeri iungitur, tunc ſua cuiusque res manet, & iterum ſeparatur, Struu. *d. th. 44.*

DISTINCTIO V.

Inter *Confuſionem* & *Commixtionem.*

Prior fit in rebus liquidis, *poſterior* in aridis & ſiccis. *Prior* ſemper inducit communionem, ſiue facta ſit voluntate vtriusque, ſiue alterutrius ſaltem, ſiue neutrius denique, ſed per merum caſum fortuitum, §. 27. *I. de R. D.* ſi ſcilicet ſeparatio nullo modo fieri poſſit, alias vero, ſi hæc poſſibilis eſt, vt quando e. g. metalla confuſa ab aurificibus aqua chryſulca (Scheid-Waſſer) iterum ſeparantur, tunc communio non inducitur, ſi confuſio absque dominorum conſenſu facta, ſed ſuum cuilibet reſtituitur, Struu. *d. l. th. 43.*

Circa

Circa *commixtionem* tres caſus ab inuicem diſtinguuntur in §. 28. *l. de R. D.* ſcilicet, aut facta eſt illa *voluntate vtriusque*, & tunc communio ſine dubio inducitur: aut facta eſt *voluntate vnius ſaltem, aut nullius*, ſed *per merum caſum fortuitum*, & tunc communionem induci negat *d.* §. 28. addita ratione, *quia ſingula corpora in ſua ſubſtantia durant*, quod in confuſione ſecus ſeſe habebat. Subiungitur quoque exemplum in *cit.* §. 28. *non magis iſtis caſibus commune fieri frumentum, quam grex intelligitur eſſe communis, ſi pecora Titii tuis pecoribus miſta fuerint.* Quid ergo? *in rem actio* pro modo frumenti cuiusque competit, arbitrio autem iudicis continetur, vt ipſe æſtimet, quale cuiusque frumentum fuerit; quod ſi vero commixtio voluntate vtriusque facta, & ſic communio inducta fuiſſet, actio *communi diuidundo* inſtitui debuiſſet iuxta *l. 5. pr. ff. de R. V.* In effectu tamen idem eſſe puto, ſiue actio illa in rem, ſiue hæc communi diuidundo inſtituatur, & non parum ſubtilitatis huic materiæ de commixtione ineſſe videtur.

DISTINCTIO VI.
Inter *Plantationem* & *Inſitionem*.

P*lantæ* in alieno ſolo poſitæ ab eo demum tempore domino ſoli acquiruntur, *quo radi-*

radices egerunt; antea enim facillimo negotio a ſolo iterum ſeparari poſſunt: at vero *ſemen*, in alienum agrum proiectum, eiusdem agri domino *a momento inſitionis* cedit, quia hoc difficulter admodum iterum colligi, & ſic ab agro ſeparari poteſt, valde difficilia autem pro impoſſibilibus in iure Romano reputantur, *§. 31. & 33. I. de R. D.*

DISTINCTIO VII.

Inter *Scripturam & Picturam.*

Literae, licet aureæ ſint, perinde *chartis membranisue cedunt*, ac ſolo cedere ſolent ea, quæ inædificantur, aut inſeruntur; at vero in *pictura tabula picturæ cedere debet*, quia ridiculum eſt, picturam Appellis, vel Parrhaſii, in acceſſionem viliſſimæ tabulæ cedere, *§.33. & 34. I. de R. D.* Ita de iure Romano, hodie autem & chartam literis cedere multi ex recentioribus recte aſſerunt, quia dominus chartæ nullum intereſſe habet, ſiue eandem chartam præciſe conſequatur, ſiue aliam æque bonam. Nec charta, nec tabula, ſunt eiusmodi res, in quas cadit pretium affectionis, ſed ſunt res mere fungibiles, adeoque claudicat argumentum ab eo, quod fundo inædificatum, ad illud, quod chartæ inſcriptum eſt.

DIST.

DISTINCTIO VIII.

Inter Traditionem *nudam* & *non nudam*.

N*uda* fit ex titulo ad transferendum dominium inhabili, e. g. ex titulo commodati, depoſiti, locati, &c. & hæc *non conſtituit accipientem in conditione vſucapiendi*, licet rem traditam longiſſimo tempore poſſideat, quod in traditione *non nuda* vbique ſecus ſe habet, *v. l. 31. pr. ff. h. t.*

DISTINCTIO IX.

Inter Traditionem *veram* & *fictam*, & hanc iterum vel *longæ manus*, vel *breuis manus*, vel *ſymbolicam*.

V*era* fit in mobilibus, de manu in manum datione, in immobilibus, inductione, non tamen, vt quis omnes glebas fundi circumambulet, ſed quamlibet eius partem introire ſufficit, per *l. 3. ff. de acquir. vel amitt. poſſ.*

Ficta, quæ *longæ manus* dicitur, oculis perficitur. *Si venditorem*, inquit Celſus *in l. 18. §. 2. ff. de acqu. vel am. poſſ. quod emerim*,

rim, deponere in mea domo iuſſerim: poſſidere me certum eſt, quanquam id nemo dum attigerit. Aut ſi vicinum mihi fundum mercato venditor in mea turre demonſtret, vacuamque ſe poſſeſſionem tradere dicat: non minus poſſidere cœpi, quam ſi pedem finibus intuliſſem. Adde *l.* 79. *ff. de ſolut.* vbi manu longa traditio fieri dicitur, *ſi pecuniam, quam mihi debes, aut aliam rem in conſpectu meo ponere te iubeam.*

Ficta *breuis manus* eſt, vbi nulla traditiô loco duarum, quæ regulariter requirebantur, adhibetur, id quod communiter accidere ſolet, quando duo contractus, vnus breui tempore poſt alium, celebrati fuerunt. Sic v. g. poſſedi hactenus rem ex commodato, locato, depoſito, &c. emo iam eandem rem a commodante, locatore, vel deponente, duplici traditione opus eſſet, vt ſcilicet commodatarius &c. primo rem iterum reſtitueret commodanti, & ſic hunc contractum plene diſſolueret, deinde vero commodans ex nouo contractu venditionis illam rem commodatario, tanquam emtori, denuo traderet, atque hac ratione contractum venditionis conſummaret. Sed cui vſui eſſent iſtiusmodi ambages? Ergo quod fieri poteſt per pauca, non debet fieri per plura, & hinc commodans &c. rem, antea commodatam, commodatario tanquam emtori, ex nouo titulo, ſtatim relinquit,

quit, quaſi denuo traditam. Aliud exemplum eſt in *l.3.§. pen. & vlt. ff. de don. inter vir. & vx. ſi ſcilicet debitorem meum tibi ſoluere, vel eum, qui mihi donaturus erat, vxori meæ dare iuſſerim.* Item: ſi pecunia, ex alio contractu debita, per conuentionem fit mutua, *l.15. ff. de Reb. Cred.* Vel, ſi res vendenda datur, vt pecunia, inde redacta, ſit mutua, *l. 11. pr. ff. d. t.* Schœpffer *Synopſ. iur. ad tit. ff. de reb. cred. num. 19. 20.*

Huc pertinet etiam *conſtitutum poſſeſſorium*, quando rem, quæ hactenus ex titulo, ad dominium habili, penes me fuit, iam ex inhabili poſſidere incipio, de quo fuſe iam diximus *ad tit. de conſtituta pecunia Diſt. I.*

Symbolica denique eſt, quando loco ipſius rei, aliud quid a tradente adhibetur, quod rem venditam, permutatam, donatam, &c. *repræſentat, & cum ea connexionem quandam habet*, ita, vt penes quem illud ſymbolum deprehenditur, penes hunc quoque regulariter dominium rei ſit. Huc pertinet *traditio inſtrumentorum*, ex quibus venditoris ius & titulus dependet, die alten Lehnbriefe, Kaufbriefe, die Inuentaria, &c. *v. l. 1. C. de donat.* Maſcard. *de Probat. Vol. 3. Concl. 1184. n. 1.* Imo & per traditionem ipſius inſtrumenti, quod ſuper præſenti contractu confectum eſt, poſſeſſio transferri

pot-

poteſt, modo illi inſtrumento inſeratur clauſula: Daß der Verkäuffer zugleich vermittelſt Ueberreichung dieſes Kaufbrieffes, den Käuffer in den völligen Beſitz des Hauſes geſetzet haben wolle; absque hac vero clauſula, per ſolam inſtrumenti, nouiter confecti, traditionem, poſſeſſio non transfertur, *D)* Carpz. *P. 2. C. 33. Def. 15.* Illuſtr. Stryk. *Caut. Contr. ſect. 2. c. 8. §. 22.*

Symbolica quoque traditio fit per *traditionem clauium, in conſpectu rei factam, l. 74. ff. de contrab. emt.* (Pacto tamen effici poteſt, vt etiam extra rei præſentiam, eiusmodi traditio perficiatur, Id. *cit. c. 8. §. 22.)* Item per *impoſitionem ſignaculi, l. 14. §. 1. ff. de comm. & peric. rei vend.* (modo non ſit res, quæ ad quantitatem, vel guſtum vendita, *E) l. 1. §. 2. ff. d. tit.)* Item, *ſi Cuſtos apponatur*, Id. *d. §. 22.*

Scotatio, (quæ in *c. 2. X. de conſuet.* deſcribitur, quod fiat ab eo, qui poſſeſſiones aliquas clauſtris, vel aliis locis religioſis, pro remedio peccatorum ſuorum, vult conferre, *ita vt modicum terræ in manu vel extremita-*

D) Quum ſaltem *probationis gratia* inſtrumentum cenſeatur eſſe traditum.

E) Magis enim, *ne ſubmutetur*, ſignari ſolet, quam vt tradere tum videatur venditor. *d. l.*

mitate pallii, quod manu prælati eccleſiæ ſuſtinetur, adferat, & ſuper altare ponat, ſub teſtimonio videntium) apud nos hodie in vſu amplius non eſt.

In Geldria *effeſtucatio* in vſu eſt, **Opdracht** ſiue **Transport**, quando venditor, feſtucam, ſiue baculum, manu tenens, eundem poſtea abiicit, ac emtori relinquit, ſimulque ſe poſſeſſione decedere declarat, Huber. *in prælect. ad I. de rer. diuiſ. n. 58.* Dn. Beyer. *Poſit. ff. de act. emt. vend. poſ. 18. ad 21.* ſed ex eiusmodi feſtucæ abiectione apud nos iterum nulla poſſeſſionis translatio proflueret, quoniam apud nos hoc ſymbolum non eſt receptum. *F)*

Qua-

F) In *Cliuia* hæc ſymbolica traditio recepta, quum ibi in rebus immobilibus, translatio dominii in iudicio fiat: **Mit Hand, Halm, und gichtigen Munde**, h. e. *manu, feſtuca, & confitente ore,* teſte FELTMANN. *de Iure in re & ad rem cap. 13. §. 34. ſeq.* Pariter de ciuitate Saxonica *Liebenwerda* teſtatur DN. de BERGER *Oecon. Iur. Lib. 2. Tit. 2. §. 19.* **daß daſelbſt die Lehn an den unbeweglichen Güthern, uhralter Stadt-** obſeruanz **nach, vermittelſt eines grünen Reiſſes gereichet wird.** Aliud huius rei veſtigium ex *Ordinat. Prouincial. Hennebergica*, in verbis: **Alle Verzicht, Ver-**

mächt-

Qualia ſymbola in inueſtitura, ſiue traditione feudi, adhibeantur, illud ex iure feudali repetendum.

Interim quantum ad vſum attinet, ita tene: *quemcunque effectum habet traditio vera, illum quoque ficta poſt ſe trahit*, id eſt, vtraque ius aliquod reale emtori, donatario, &c. tribuit, qui antea nudum ſaltem ius perſonale ex conuentione acquiſiuerat.

E conuerſo: *quidquid non poteſt transferri per traditionem veram, illud nec per fictam transferri conceſſum eſt.* Vnde quemadmodum inter coniuges donatio, eamque ſubſequens vera rei donatæ traditio, locum non inuenit, ita nec ficte res donatas tradere licet, quoniam hoc in fraudem legis fieret, *v. l. 3. §. pen. & vlt. de donat. int. vir. & vx.*

Vnde nihil intereſt, vtrum vere, an ficte, vtrum per longam manum, breuem manum, an vero per ſymbolum, traditio perficiatur, quod idem quoque ad illam fictæ tra-

mächtniß und Uebergabe an Unſerm Land-Gericht mit Mund und Halm übergeben, cetera, adfert SCHILTER. *in Prax. Iur. Roman. Exerc. 8. §. 5. in not. lit. C.*

traditionis ſpeciem, *patientiam ſcilicet & exercitium*, eſt applicandum, per quam ſeruitutes aliaque iura, alteri conceduntur. Hæc ſcilicet in rebus incorporalibus idem præſtat, quod vera in corporalibus præſtare ſolet.

LIB. XLI. TIT. II.

De Acquirenda vel Amittenda Poſſeſſione.

DISTINCTIO I.

Inter Poſſeſſionem *propriam & analogicam.*

Propria de rebus corporalibus, *analogica* de incorporalibus prædicatur, ceterum vero in effectu conueniunt, vtraque enim eandem præſumtionem producit, & eadem quoque remedia, quibus nos in poſſeſſione noſtra tueri poſſumus.

DIST.

DISTINCTIO II.

Inter Poſſeſſionem *naturalem* & *ciuilem.* *A)*

Si vnquam alias vocabulum aliquod diuerſimode accipitur, certe eiusmodi diuerſiſſima acceptio vocabulorum poſſeſſionis *naturalis* & *ciuilis*, in iure noſtro deprehenditur.

Scilicet poſſeſſio *naturalis* ſumitur (1.) pro nuda detentione, ſiue *pro actu mere phyſico*, quo ſenſu furioſus etiam poſſidere &

A) Alia poſſeſſionis ſpecies, Iuri ciuili incognita, a DD. *ciuiliſſima* vocatur, quando vi Statuti, *poſſeſſio defuncti in heredem continuatur*, *ſine vlla adprehenſione*, de qua vid. MENOCH. *de Remed. recup. poſſeſſ. Remed. 1. n. 393.* POST. *Tr. Mandat. de Manuten. Obſ. 55. n. 54.* (quale Statutum habetur in *Ducatu Magdeburgico*, reſpectu *deſcendentium*, Magdebl. Policey-Ordn. *cap. 44. §. 15.*) Quo pertinet illa Gallorum regula: *Le mort ſaiſit le vif*, h. e. *mortuus transfert poſſeſſionem rerum hereditariarum in ſuperſtitem*, quam luculento Commentario colluſtrauit ANDR. TIRAQVELLVS.

& poſſeſſionem inchoare poteſt, *l. 1. §. 5. ff. b. t.* item ſeruus, *l. 24. ff. eod.* & hoc modo accepta *poſſidenti nullum plane ius tribuit.*

Accipitur (2.) *pro poſſeſſione, effectum ciuilem habente*, non tamen dominium, ſed aliud quid tribuente, quo nomine poſſidet vſufructuarius, *l. 49. b. t.* item creditor pignus, &c. *Hæc ius temporarium eiusque manutenentiam tribuit, non tamen ad vſucapionem proficit.*

Accipitur (3.) de eo caſu, *ſi quis non ſolum animum ſibi habendi habet, ſed ſimul etiam corpore ſuo rei incumbit*, v. g. ſi quis ædes emit, easque ipſe inhabitat. Hæc *ad vſucapionem ſine dubio proficit, ſi iuſtus titulus ſimul adeſt.*

Lauterbach. *in Comp. ff. b. tit.* haſce tres acceptiones ita diſtinguit, *primam* vocando poſſeſſionem *naturalem in ſignificatione lata: ſecundam* in ſignificatione *ſtricta* ratione *formæ: tertiam* in eadem ſignificatione *ſtricta* ratione *modi.*

Vocabulum *ciuilis poſſeſſionis* adhibetur (1.) *pro qualicunque poſſeſſione*, quæ non dominium, ſed alium quendam titulum coniunctum habet, v. g. ſi quis *hypothecam*, vel *rem vſufructuariam* poſſidet, hanc Lauterb. *ciuilem in ſignificatione lata*, appellat, antea etiam *naturalis ſtricta ratione formæ* vocabatur, & *facultatem vſucapiendi non tribuit*, quo-

quoniam titulo ad transferendum dominium habili deſtituitur.

(2.) Adhibetur pro poſſeſſione, *qua corporalem inſiſtentiam coniunctam non habet*, ſic v. g. *locator, commodans, deponens*, ciuiliter poſſident, quamuis conductor, commodatarius, & depoſitarius, rei actualiter incumbant. Stylo Lauterbachiano hæc *ciuilis ſtricta ratione modi* dicitur, & *eosdem effectus habet, qui illi tribuuntur, quando quis rei actu incumbit.*

Denique (3.) ciuilis poſſeſſio dicitur, *quando non ſolum quis naturaliter rei inſiſtit, ſed ſimul etiam animum domini habet.* Hæc *ſi bonam fidem coniunctam habet, facultatem vſucapiendi tribuit*, non autem ſi quis mala fide poſſeſſionem ſibi arrogauit, v. g. fur, raptor, &c. Lauterbachio vocatur *ciuilis ſtricta ratione formæ.*

Vſus, præterea, quæ iamiam ſingulis ſpeciebus ſubiuncta fuerunt, etiam quoad theoriam deprehenditur, ne ICtos, qui vocabulo poſſeſſionis naturalis & ciuilis tam diuerſimode vtuntur, ſtatim ſibi ipſis *quoad rem ipſam* contradixiſſe exiſtimemus. In concluſionibus enim, quoad effectum poſſeſſionis, & facultatem vſucapiendi, ex poſſeſſione profluentem, conueniunt, & in ſolis terminis ab inuicem diſcedunt, quod in plerisque diſciplinis aliis quotidie ita euenire ſolet. conf. Hahn. *ad Weſenb. h. t.*

 num.

num. 2. verb. dicitur & alio ſenſu, & ſedula textuum euolutio hoc ſatis docere poterit.

DISTINCTIO III.

Inter Poſſeſſionem *bonæ & malæ fidei*.

Prior requiritur, ſi quis per continuationem poſſeſſionis, iuſto titulo munitæ, dominium acquirere intendit, & quidem de iure canonico, quod in praxi ſequimur, per integrum tempus vſucapionis, *c. fin. X. de præſcript.* vbi quidem Papa, Innocentius III. Paulinum illud: *quod non ex fide, peccatum eſt*, contorte applicat, quippe quod non de fide aliqua intellectuali, quam ICti intelligunt, ſed de fide in corde radicata *B)* loquitur; interim tamen res ipſa ſalua

B) Verba textus, ad quæ prouocat AVCTOR *Rom. 14. commat. 23.* ita habent: *Qui vero dubitat, ſi ederit, condemnatus eſt, quoniam non edit ex fide: quidquid vero ex fide non eſt, peccatum eſt.* Ex quibus conſit, PAVLLVM *b. l.* loqui de *conſcientia dubia*, quod is, qui actionem, *conſcientia velut in æquilibrio hærente*, ſuſcipit, peccet, ac quantum in ſe eſt, legem violet.

ſalua eſt, inuolueret enim furti moralis ſpeciem, ſi alicui permitteretur, vt rem alienam ſcienter poſſidens, eam nihilominus vſucapere poſſet.

Malæ fidei poſſeſſio ad vſucapionem non proficit, eum tamen nihilominus poſt ſe trahit effectum, vt in poſſeſſorio ſummariiſſimo quis manutenentiam conſequatur, quoniam in hoc iudicio de qualitate poſſeſſionis plane non disquiritur, ſed de ſola illa quæſtione: *an aliquis poſſideat?*

DISTINCTIO IV.

Inter Poſſeſſionem *iuſtam & iniuſtam.*

I*uſtum* alias id vocari conſueuit, quod cum legibus *omni ex parte conuenit*, & ſic idem eſt, quod legitimum; *iniuſtum* e contrario, quod voluntati legislatoris *in totum repugnat.*

violet. Vnde ſalua exiſtimatione B. AVCTORI debita, perſuaſiſſimus ſum, fidem *b. l. iudicium intellectus*, neutiquam vero *fidem in corde radicatam*, denotare. Qua in ſententia me confirmat Vir ſui nominis H. GROTIVS *de Iur. Bell. & Pac. Lib.* 2. *cap.* 23. §. 2. *Quo in loco*, inquiens, *fides animi iudicium de re ſignificat.*

gnat. Verum ille ſignificatus in præſenti quidem diſtinctione non indigitatur, ſed *iuſta poſſeſſio* hic vocatur, quam quis *titulo ad transferendum dominium habili*, acquiſiuit, quæ tamen in eo legibus non raro contrariari poteſt, quod mala fide obtenta fuerit; *iniuſta* e contrario eſt, *vbi eiusmodi titulus deficit*, quamuis etiam bona fides adſit. Sic heres poſſidens rem, quæ anteceſſori defuncto commodata erat, eamque ad defunctum iure dominii pertinuiſſe exiſtimans, in b. f. quidem conſtitutus deprehenditur, ſed nihilominus tamen poſſeſſio ipſius iniuſtæ ſpeciebus accenſenda erit.

Poſſeſſio *iuſta*, ſi cetera concurrant, quæ a legibus requiruntur, *poſſidenti facultatem vſucapiendi tribuit*, iniuſta autem talem effectum poſt ſe non trahit.

LIB. XLI. TIT. III.

De Vſurpationibus & Vſucapionibus.

DISTINCTIO I.

Inter *Vſucapionem & Præſcriptionem.*

Quænam olim inter vſucapionem & præſcriptionem fuerit differentia, de eo DD. alii iam fuſe ante nos ſcripſerunt, vt adeo illis immorari opus non videatur, præſertim cum ad ſcopum noſtrum talia quoque non pertineant, conf. Hahn. *ad Weſenbec. h. t. num. 3. verb. vſucapio eſt.* Strauch. *Diſſ. Iuſtin. 8. th. 5. & 20.* Ræuardus *in Triboniano, ſeu de veris vſucapionum differentiis aduerſus Tribonianum. c. 5. 6. & 10.* quem allegat Dn. Beyer. *Poſ. ff. h. t. ab init.*

Nobis hæc monuiſſe ſufficiat, quod vocabulum *præſcriptionis* hodie quidem vſucapionem ſub ſe comprehendat, vel, ſi mauis, eiusdem ſynonymum ſit; quod tamen nihilominus ea adhuc obſeruari ſoleat differentia, *vt de rebus incorporalibus ſola præſcriptio prædicetur*, non autem vſucapio, vnde incongrue haud dubie faceret,

qui

qui actionem, vel ſeruitutem ſe vſucepiſſe, dicere vellet. Accedit hoc etiam, quod *vſucapio ſemper actionem & exceptionem producat*, non ſolum enim tutum poſſeſſorem, ſed & tutum dominium (poſt amiſſam poſſeſſionem) efficit, *A)* quod quidem in præſcriptione, *intuitu ſeruitutum*, eodem modo ſe habet, vbi actio confeſſoria, poſt completum præſcriptionis tempus, præſcribenti competit, verum *intuitu actionum* ſola exceptio ex præſcriptione oritur.

Interim iuxta obſeruantiam fori tam in vſucapione, quam in præſcriptione *B) bona fides*

A) h. e. qui vſucapione completa dominium rei quæſiuit, amiſſa eius poſſeſſione, rei vindicationem intentare poteſt aduerſus quemuis poſſeſſorem.

B) Quod ad præſcriptionem actionum adtinet, actiones *rei perſequutoriæ* a *pœnalibus* probe ſeparandæ, ad *illas* quippe pertinet adſertio AVCTORIS, non ad *has*. Ratio differentiæ eſt, quod in eo proprie ſit peccatum, qui non reſtituit rem alteri debitam, ad pœnam vero nemo teneatur, antequam petita & iudicata. Sic *actio furti* ad duplum vel quadruplum, lapſu 30 annorum, *adcuſatio furti* lapſu 20 annorum, *condictio furtiua* vero *hodie* etiam poſt 30 annos locum habet. B. STRYK.

fides requiritur, & ſic hac ratione iterum non differunt.

DISTINCTIO II.

Inter Corpora *vnita*, *coniuncta*, & *disiuncta*, in materia vſucapionis conſiderata.

Vnitum corpus Pomponius, principia philoſophiæ Stoicæ ſecutus, in *l. 30. pr. ff. h. t.* deſcribit, quod vno ſpiritu conſtat, vt homo, tignum, lapis, & ſimilia, quam definitionem & Paulus approbat in *l. 23. §. 5. ff. de rei vind.* & ſtatuam exempli loco ponit.

Coniunctum eſt, quod ex pluribus partibus cohærentibus, vel ſe contingentibus, componitur, vt domus, nauis, armarium, *d. l. 30. pr. h. t.*

Diſiunctum autem *d. l.* vocatur, quod ex diſtantibus conſtat, vt corpora plura non ſoluta, ſed vni nomini ſubiecta, v. g. populus, legio, grex.

Vnita pro parte non vſucapiuntur, ſed ſimul integra acquiruntur, in *coniunctis* contra, hic enim vnam ego partem, v. g. ædi-

STRYK. *de Action. forenſ. inueſtig. Sect. 3. Membr. 1. axiom. 6. n. 10. ſeq.* LVDEKING. *de Vſucap. & Præſcript. cap. 5. §. 14.*

ædium vſucapere poſſum, alter autem alteram, quo ſenſu intelligi debet, quod dicit Lauterbach. *Comp. iur. h. t. re coniuncta tota acquiſita partes acquiſitas non eſſe*, ſi ſcilicet alius eas partes interim non minus animo ſibi habendi poſſedit, quam ego maximam partem, (vocem enim *totius*, qua vtitur Lauterbach, pro maxima parte accipiendam eſſe exiſtimo.) In dubio tamen, ſi talis poſſeſſio rei particularis a tertio doceri non poteſt, ille qui maximam partem vſucepit, etiam reliqua vſucepiſſe intelligitur. Et hic ergo differentia inter *coniuncta* & *disiuncta* ſeſe exerit. Scilicet in disiunctis, vna v. g. oue, poſſeſſa & vſucapta, non ſtatim omnia reliqua corpora vſucapta ſunt, neque hic, qui omnium poſſeſſionem allegat, præſumtionem pro ſe habet, ſed ad probationem tenetur.

Hæc latent in effato Pomponii in *d. l. 30. h. t.* quando dicit: *Primum genus* (vnitorum) *in vſucapione quæſtionem non habere: ſecundum* (coniunctorum) *& tertium* (disiunctorum) *habere.*

LIB. XLII. TIT. I.

De Re Iudicata, & Effe-ctu Sententiarum, & Interlo-cutionibus.

DISTINCTIO I.

Inter Sententiam *interlocutoriam* & *definitiuam*.

Interlocutoriam vocant, quæ punctum incidentem minus principalem, & ad deciſionem cauſæ nihil conferentem, determinat, v. g. quando iudex definit, an cautio ſit præſtanda ab actore, annon? an reliquæ exceptiones, a reo forſan oppoſitæ, releuantes ſint, annon? *definitiuam* e contrario, quæ toti negotio principali finem imponit, reum vel abſoluendo, vel condemnando. Hinc quando iudex pronunciat: daß Beklagter ſich auf die Klage, immaſſen ſie anbracht, vel: noch zur Zeit, vel: allhie, einzulaſſen nicht ſchuldig, *interlocutoria*; quando autem ita: Daß Beklagter ſich auf die Klage einzulaſſen nicht ſchuldig, vel: daß Er von der wider ihn angeſtellten Klage zu entbinden, ſententia *definitiua* eſt.

Vſum

Vſum in eo ponunt. Sententiam *interlocutoriam* iudex *retractare poteſt*, non vero definitiuam, *l. 14. 42. & 55. ff. h. t.* quia poſt ſententiam hancce latam ſemel officio ſuo functus eſt, ſiue bene, ſiue male hoc fecerit, *A)* quod in *cit. l. 14. & 42.* de prætoris ſententia etiam dicitur, v. Gail. *lib. 1. obſ. 81. num. 16.* Hoc tamen quoad vſum fori aliter ſeſe habere exiſtimo. Quemadmodum enim iudex apud Romanos, ſententiam ſuam interlocutoriam *ob iuſtas probabilesque*

A) Interlocutio vero reuocari poteſt, quia Iudex, qui interlocutus eſt, adhuc manet Iudex, vsque ad ſententiam definitiuam. BRONCHORST. Εναντιοφαν. *Cent. 4. Adſert. 19.* Nec obſtat *d. l. 14. ff. h. t.* quæ *generatim* ſententiam tolli ac retractari poſſe negat, ergo & interlocutoriam, Reſp. Secundum ſtylum Iuris Romani vocabulo *ſententiæ* non contineri *interloquutionem*, arg. *tit. C. de Sentent. & Interloc.* ib. GOTHOFRED. *in not. lit. Q.* PEREZ. *ad C. eod. n. 1.* WISSENBACH. *ad ff. h. t. §. 1.* STRAVCH. *Diſſert. Iuſtin. 26. §. 2.* niſi illa punctum incidentem, *cauſſæ principalis deciſionem per indirectum tangentem*, decidat, vid. *L. 39. ff. de Minor.* ibi: *dicta pro ætate ſententia.* Conf. DN. BÖHMER. *Iur. Eccleſ. Lib. 2. Tit. 27. §. 3. ſeq.*

que cauſas, non autem pro lubitu, & quia placebat, mutare poterat, vid. Meu. *P. 2. Dec. 374.* Brunnem. *ad l. 14. ff. h. t. num. 2.* ita quoque eadem mutandi & corrigendi poteſtas hodie noſtris iudicibus, *ex iis cauſis*, quoad ſententiam definitiuam, competit. Huc pertinet, quod Saxones per modum leuterationis, Pomerani per reſtitutionem in integrum, Hamburgenſes ſub voce reuiſionis, & alibi per modum vel itidem reuiſionis, vel ſupplicationis, vel quocunque demum alio titulo, ſententias quaſcunque, interlocutorias & definitiuas, *coram eodem iudice impugnent*, qui etiam non ſemper acta ad extraneum iudicem transmittit, ſed ipſe ſæpius propriam ſententiam corrigit, cum dedecus non ſit, conſilium in melius mutare, circumſtantiis rei melius perſpectis.

Porro de iure Romano vſus præſentis diſtinctionis *ratione facultatis appellandi* ſeſe exſerebat. Scilicet *a ſententia definitiua quidem appellare permittitur, neutiquam vero ab interlocutoria*, *B)* *v. l. 2. C. de Epiſc. aud. l. 7. C. quor. appell. non recip. ibique* Gothofred. Sed de iure canonico & moribus noſtris, plerumque iterum contrarium obſeruatur, & inter ſententiam definitiuam atque interlocu-

B) Scilicet *ſimplici*, aliud de *mixta* dicendum. vid. *Diſtinct. ſeq.*

locutoriam nulla fere hoc intuitu ſtatuitur differentia. *C)* De iure canonico v. *c. 10. & 12. X. de appellat.* De praxi confer Rittershuſium *de differ. iur. ciu. & canon. l. 5. c. 25.* Brunnemannum *Proc. ciu. cap. 28. num. 6. & 7.* qui tamen Cameram Imperialem ius ciuile ſequi teſtatur, (add. Gail. *l. 1. obſ. 129.*) & in Marchia Electorali idem obtinere aſſerit. Et nemo ſane diffiteri poteſt, non parum prodeſſe illam Iuris canonici diſpoſitionem hiſce, qui nihil niſi protractionem proceſſuum meditantur; vnde laudandi ſunt principes, qui ius Romanum in iudiciis ſuis iuri canonico iterum præferunt.

Quamuis vero, vt dictum, canones *ratione facultatis appellandi*, vtramque ſententiam, interlocutoriam & definitiuam, ſibi exæquauerint, differentiam tamen nihilominus adhuc *ratione modi appellandi* introduxerunt. Scilicet (1.) a ſententia *definitiua* alternatiue, vel in ſcriptis, vel viua

C) Tu confer AVCTOR. Einleit. zum *Ciuil-*Proc. *cap. 34. §. 4.* vbi in Camera imp. Tribunali Wismarienſi, Marchia, Pomerania, Luſatia, Ducatu Vinarienſi, Gothano, Brunſuicenſi, Magdeburgico, Ius *ciuile*, in Electoratu Saxonico vero Ius *Canonicum* obſeruari tradit, ſi a *Curiis prouincialibus*, Lipſienſi & Wittebergenſi, diſceſſeris.

viua etiam voce, aut ſtante pede, appellare permiſſum eſt, ſed vero ab *interlocutoria* ſi prouocatur, hoc ſemper in ſcriptis fieri debet, *c. 1. de appellat. in 6.* (2) Quoties a ſententia *definitiua* appellatur, toties, vt cauſæ appellationis exprimantur, præciſe neceſſarium non eſt; ſed hoc iterum in appellatione a ſententia *interlocutoria* ſecus ſe habet, *d. c. 1. de appell. in 6.* Sed quid in iudiciis noſtris hic obſeruatur? Certe quod Brunn. *loc. cit. num. 4.* dicit, *conſuetudine introduci poſſe, vt quis viua voce ab interlocutoria appellare queat*, in pleriſque locis introductum eſſe exiſtimo, vt non ſolum viua voce, *D)* ſed quoque abſque expreſſione cauſæ *E)* appellatio-

D) In terris *Sceptro Boruſſico* ſubiectis huiusmodi adpellationes *prohibitæ*, vid. Cammer = Gerichts = Ordnung der Chur = Marck Brandenburg *Tit. 12. §. 3.* Add. Königl. Preuß. Allgemeine Ordn. von Verbeſſ. des *Juſtiz*-Weſens §. 49. In Electoratu Saxoniæ vero in *cauſſis metallicis* nonniſi *viua voce & ſtante pede* adpellandum, nec adpellationes in ſcriptis admittuntur. DN. MENCKEN. *Tractat. ſynopt. proc. Disp. proœm. 1. §. 16.*

E) Imo multis in locis ſiue a ſententia *interloquutoria* ſiue a *definitiua* adpellatio interponatur, in ſchedula adpellationis

 graua-

lationis, a ſententiis interlocutoriis ſemper appelletur, nec memini vnquam in actis me legiſſe, quod ex hoc capite formalia appellationis eo caſu impugnata fuerint.

DISTINCTIO II.

Inter Sententiam interlocutoriam *ſimplicem & mixtam.*

Simplex eſt, quæ ſuper tali puncto profertur, ex quo cauſæ principali ne minimum quidem præiudicium imminet, v. g. in puncto cautionis, termini anguſti, libelli inepti, &c. ſiue enim admiſſa fuerit eiusmodi exceptio per ſententiam interlocutoriam, ſiue penitus reiecta, nihilominus tamen vel actor in cauſa obtinere, vel reus abſolutionem impetrare poteſt, ſi modo fundamentum actionis, vel exceptionis, recta ſeſe habeat.

Mixta autem dicitur, quæ ita comparata eſt, vt per neceſſariam conſequentiam ipſi cauſæ principali præiudicium faciat. Sic v. g. produco teſtem, vel inſtrumentum ali-

grauamina exprimi debent. vid. Cammer-Gerichts-Ordn. der Marck Brandenburg *Tit. 12. §. 6. Tit. 52. §. 3.* Magdeburgiſche Proc. Ordn. *cap. 43. § 1.* Add. MARTINI *ad Ord. proc. Saxon. Tit. X. §. 6. n. 468. ſeqq.* vbi plures *Ordinat. proceſſuales* refert.

aliquod, tu excipis, teſtem prorſus eſſe inhabilem, vel inſtrumentum eſſe falſum, aut alio vitio laborare, iudex pronunciat, nec teſtem, nec inſtrumentum eſſe admittendum, hic ſane talis interlocutoria toti cauſæ damnum irreparabile infert, quoniam ſi hic teſtis, vel hoc inſtrumentum, admitti non debet, ego neceſſario cauſa cado, cum aliis teſtibus, vel documentis, plane deſtitutus ſim. Idem eſt, ſi ex ſententia interlocutoria aliud irreparabile damnum oriatur, quo pertinet exemplum in *l. 2. ff. de appell. recip. ſi quæſtionem in ciuili negotio habendam iudex interlocutus ſit, vel in criminali, ſi contra leges hoc faciat.*

Vſus in eo conſpicitur iuxta leges Romanas. *Ab interlocutoria ſimplici non licet appellare, bene tamen a mixta*, vtpote quæ quoad effectum, inde profluentem, definitiuæ æquiparatur, *v. d. l. 2. ff. de appell. recip.* Menoch. *l. 2. A. I. Q. caſ. 490.* Scaccia *de appellat. qu. 17. limit. 4. membr. 1. num. 84. ſequ.* Brunnem. *de Proc. ciu. d. cap. 28. n. 2.* Verum enim vero poſtquam ad *diſt. præced.* dictum, quod iure canonico & moribus noſtris ab omni interlocutoria appellari poſſit, *F)* hinc quoque præſentis diſtinctionis vſus non adeſt, niſi in illis prouinciis, vbi

F) Sed vid. *Diſtinct. præced.* in not. *lit. C.*

vbi *canonum litigioſa inuentio* iterum *exploſa*, ſunt verba cit. Brunneman. *d. l. n. 8.*

DISTINCTIO III.

Inter Sententiam contra ius in *theſi* & *in hypotheſi.*

Prior, quæ etiam *contra ius conſtitutionis* lata dici ſolet, directo contradicit diſpoſitioni legislatoris, & quando hic e. g. ſtatuit, impuberem non poſſe teſtari, mulierem ex fideiuſſione, filiumfam. ex mutuo, non obligari, tunc iudex nihilominus teſtamentum impuberis validum eſſe pronunciat, mulierem etiam & filiumfam. ad ſoluendum id, quod fideiubendo promiſerat, vel mutuo acceperat, adſtringit, &c.

Poſterior, contra ius partis lata, non quidem legibus contrariatur, in eo tamen a tramite recti recedit, quod actis non diligenter perluſtratis, neque ſatis cognitis cauſæ momentis, & ſic præcipitanter prolata fuerit, v. g. quando diſputant partes, vtrum teſtator impubes, vel vtrum debitor, mutuum accipiens, filiusfamilias fuerit, & licet in actis vtrumque, ætas ſcilicet impubes, & conſtitutio ſub patria poteſtâte, ſatis probatum, iudex tamen probationem tan-

tanquam non ſufficientem, reiicit, daß Kläger dasjenige, ſo ihm zu beweiſen auferleget, wie recht, nicht erwieſen.

Poſſes etiam dicere, quod *prior* ex ignorantia iuris, *poſterior* ex ignorantia facti proueniat, & quod *priori* caſu iudex in interpretando, *poſteriori* autem in applicando potiſſimum peccet.

Vſus hic eſt. Sententia *contra ius in theſi lata*, eſt ipſo iure nulla, & intra 30. annos impugnari poteſt, ea vero, *quæ contra ius in hypotheſi*, quamuis etiam interdum nulla vocetur, intra 10. dies tamen per appellationem, vel aliud remedium, eſt impugnanda, *l. 1. §. 2. ff. quæ ſent. ſine appell. l. 2. C. quand. prou. non eſt neceſſ.* v. Lauterbach. *h. t.*

DISTINCTIO IV.

Inter *Sententiam* & *Rem iudicatam*.

Sententiæ nomen a primo ſtatim momento competit pronunciato iudicis, *res iudicata* autem tunc demum vocatur, quando fatalia, intra quæ impugnari poterat, elapſa ſunt, *G)* id eſt, regulariter poſt decen-

G) Sententia AVCTORIS ad amuſſim congruit *Iuri Canonico*, vid. *cap. 13. 15. X. de* Sen-

cendium, aut quando ſententia ex capite nullitatis impugnari poterat, poſt triginta annos *H)* Quoad vſum nihil aliud adduci poteſt, quam quod circa *ſententiam* adhuc quæſtio ſuperſit, *an bene, an male illa lata fuerit*, quod fit in leuteratione, appellatione, reſtitutione, reuiſione, ſupplicatione,

Sentent. & Re iud. nec non *vſui fori.* De Iure Romano vero *res iudicata* eſt lis finita: *ſimul ac lata ſententia*, dicitur *res iudicata*, vid. *l. 1. ff. h. t. l. 7. l. 11. ff. de Transact. l. 40. §. 1. ff. de Pact. l. 14. C. de Adpellat.* BACHOV. *ad Treutler. Vol. 2. Disp. 23. th. 1. lit. A.*

H) Per R. I. de anno *1654.* §. *121.* diſtinguendum inter nullitatem *ſanabilem* & *inſanabilem*, ad hanc AVCTORIS adſertio pertinet, non ad *illam.* Conf. AVCTOR. Einleit. zum *Ciuil*-Proc. *cap. 33.* §. *7.* In *Electoratu Saxoniæ* querela nullitatis (ſublata diſtinctione inter *ſententiam* & *decretum*, de qua vid. B. AVCTOR *d. cap. 33.* §. *8.)* indiſtincte intra *terminum Saxonicum* proponenda, niſi nullitas ex *defectu citationis*, vel *mandati*, oriatur, quæ ſemper vrgeri poteſt, niſi modus procedendi expreſſe, aut tacite fuerit ratihabitus, quod etiam victori poſt ſententiam definitiuam permittitur, ORD. PROC. RECOGN. *Tit. 38.* §. *1.*

ne, &c. at vero intuitu *rei iudicatæ* nihil amplius disquiritur, quam *an ita pronunciatum fuerit?* Quemadmodum enim de legibus, earumque qualitate, non licet diſputare ſubditis, ita nec partibus de qualitate rei iudicatæ, vnde dicitur: **Das Urtheil habe die Krafft Rechtens beſchritten**, & quod res iudicata ex nigro album, & ex albo nigrum faciat. Quamuis vero B. Brunnem. *ad l. 36. ff. fam. hercìſc. n.* 7. pie moneat, rem iudicatam eſſe vinculum iuris ciuilis, quod non ſtringat in conſcientia, & *ad l. 28. ff. de condict. indeb. n.* 7. *&* 8. item *in Iur. eccleſ. lib. 1. c. 6. membr. 1. §. 19.* fore, vt in futuro ſeculo omnis res iudicata reſcindatur; in foro tamen externo aliquis compelli non poteſt, vt a commodo, quod ex re iudicata habet, iterum diſcedat.

LIB. XLII. TIT. II.

De Confeſſis.

DISTINCTIO I.

Inter Confeſſionem *in iure* & *in iudicio* factam.

Diſtinctio hæc, vt quilibet primo intuitu aduertit, ex moribus Roma-

 no-

norum, & diſtincto apud eos officio prætoris & iudicis pedanei, profluit. Et ergo, quia talis officiorum diuerſitas apud nos non amplius in vſu eſt, vſum quoque habere non poteſt. Volunt quidem communiter DD. ne nihil hic dixiſſe videantur, dictam diſtinctionem ita applicare, vt confeſſio *in iure* apud nos ſit, *quæ ante litem conteſtatam; in iudicio* autem, *quæ poſt eam* facta eſt; verum hoc male applicari puto. Experientia enim quotidiana teſtatur, quod ſiue ante, ſiue poſt L. C. fiat confeſſio a reo, indiſtincte tamen decreto aliquo, aut, quod hic eodem recurrit, ſententia opus ſit, *A)* quia vna eademque perſona vtroque tem-

A) Qua tamen opus non erat, ſi reus *in iure*, h. e. apud Prætorem, confeſſus erat, ſed is habebatur *pro iudicato.* Vnde *in l. 25. §. 2. ff. Ad L. Aquil.* dicitur, in eiusmodi confeſſum *nullas eſſe iudicantis partes.* Hinc quoque confeſſo, perinde ac iudicato mox *terminus ad ſoluendum* præfigebatur. *l. 21. ff. de iudic.* Quod ſi vero *in iudicio* confiteretur reus, vtique ſententia opus erat, quoniam iudex ex formula præſcripta, vel condemnare vel abſoluere reum debebat. Diſſentit CYIAC. *lib. 20. Obſeru. cap. 36.* indiſcriminatim ſententiam ferri debuiſſe contendens,

ob

tempore cognoſcit, vnde huius vtrobique etiam eadem eſt poteſtas.

DISTINCTIO II.

Inter Confeſſionem *iudicialem* & *extraiudicialem.*

Hic in effectu nihil intereſſe puto, niſi quod *confeſſio iudicialis facilius probari poſſit*, *quam quidem extraiudicialis*, quod vbique ita ſeſe habet, quotiescunque iudicialia extraiudicialibus opponuntur. Quamuis vero *extraiudiciali* confeſſioni ſemiplenæ tantum probationis effectum tribuant non nulli, v. Struu. *S. I. C. Exerc.* *44. th. 25.* niſi acceptata fuerit ab aduerſario, Zœſius *ad h. t. n. 15.* Schöpffer. *ſynopſ. iur. h. t. n. 15.* Rectius tamen adſtruere videtur Lauterbach. *h. t.* illam effectum plenarium *B)* habere etiam ſine acceptatione,

ob *l. 5. ff. h. t.* cui ſatis facit BACHOV. *ad Treutler. Vol. 2. Diſp. 23. th. 5. lit.* B.

B) Sermo heic eſt de cauſis *ciuilibus*, in *criminalibus* extraiudicialis confeſſio indicium facit *ad torturam.* vid. CONST. CRIM. *art. 32.* CARPZ. *Pract. Crim. part. 3. Q. 121. n. 44. ſqq.*

ne, *C)* *modo alias plene probari poſſit*, ſcriptura, vel teſtibus. Non obſtat *l. 58. §. fi ff. de Ædil. Edict.* ad quam prouocat Struuius. Caſus enim ibi erat de confeſſione ſerui, qui ſe iam ante venditionem, fugitiuum fuiſſe confitebatur, quæſtio exinde oriebatur: an actio redhibitoria *contra dominum priorem vendentem, ex confeſſione ſerui venditi*, locum haberet? quam recte negat ICtus, nobis autem in præſenti ſermo eſt de eo caſu, ſi *ex confeſſione propria contra ipſum confitentem* actio inſtituitur.

Itidem non obſtat *c. fin. X. de ſucceſſ. ab inteſt.* ad quod porro prouocat Struuius *loc. cit.* Ibi enim Abbas confeſſus erat, alterum

C) Quæ ſententia haud difficulter hunc in modum probari poteſt: Aut confeſſio extraiudicialis facta *in ſcriptis*, aut *viua voce*. *Illo* caſu, quum ſcriptura priuata *recognita* plene probet *contra ſcribentem*, conſequens eſt, etiam huiusmodi confeſſionem *plene probare* contra confitentem: *hoc*, quum per *duos teſtes*, *omni exceptione maiores*, plena probatio fieri poſſit, etiam confeſſio *in præſentia duorum teſtium*, omni exceptione maiorum, facta, ſi hi de illa iurato deponant, plene probabit. Add. HAHN. *ad Weſenbec. h. t. n. 10.*

rum obtuliſſe bona ſua monaſterio, & ergo quæſtio inſtituebatur, *an confeſſio in cauſa quodammodo propria, nobis proficere, & plenam probationem pro nobis facere poſſet?* quod recte negatur in *d. c.* at vero nos quærimus: *an confeſſio nobis nocere, & plenam probationem contra nos facere poſſit?* quam quæſtionem nemo iure negare poterit. Tu ſaltem hic obſerua, beneuole Lector, ita ſæpe a DD. etiam celebribus, adferri leges & canones ex vtroque iure, qui tamen ipſis magis obſunt, quam proſunt, vnde non ſtatim metuendus eſt allegationum cumulus. *D)*

DIST.

D) Nec metuenda *l. 4. & 7. ff. de Probat.* quas excitat CARPZOV. *Proc. tit. 13. Art. 3. n. 9.* quum prorſus nihil ad rem faciant. Adponamus ipſa verba textus. PAVLLVS *lib. 6. Reſponſor. Emtorem probare debere, eum ſeruum, de quo quæritur, antequam emeret, fugiſſe.* PAVLLVS *lib. 2. Sententiar. Quum probatio prioris fugæ deficit, ſerui quæſtioni credendum eſt; in ſe enim interrogari, non pro domino, aut in dominum videtur.* Dic, ſodes, quale argumentum ex his textibus necti poſſit, pro adſtruenda ſententia, quod confeſſio extraiudicialis, citra acceptationem, plene haud probet.

Digitized by Google

DISTINCTIO III.
Inter Confeſſionem *veram* & *fictam*.

F*icta* confeſſio ex continuata contumacia *E)* prouenit, v. g. ſi documentum in contumaciam pro recognito habetur, vel in Saxonia, lis pro affirmatiue conteſtata accipitur, vnde formula citandi apud Saxones, daß Beklagter *ſub pœna confeſſi & conuicti* ſich auf die erhobene Klage einzulaſſen und zu antworten ſchuldig. *Vera* vel ex verbis alterius, vel ex liquidis factis prouenit.

Quoad

E) In *Doctr. Pand. h. t.* §. 2. AVCTOR adſerit, *fictam* confeſſionem oriri vel ex *contumacia*, vel ex *taciturnitate*, ſed vereor, vt hæc rem exhauriant. Qui enim *ſuper delicto priuato famoſo* priuata auctoritate *tranſigit*, ficte delictum confitetur, & ſic *æque ac per ſententiam condemnatus*, infamia notatur *l. 4. §. 5. l. 5. ff. de his qui not. infam.* Atqui heic nulla contumacia, nulla taciturnitas. Mallem cum LAVTERBACHIO *Diſp. de Confeſſion.* §. 58. fictam confeſſionem deſcribere, *quæ ex certo facto elicitur, ac a L. præſumitur.*

Quoad *cauſas quidem ciuiles* inter vtramque confeſſionem non deprehenditur differentia, ſed executio tam contra illum, qui ficte, quam qui vere confeſſus eſt, decernitur; adeſt tamen vſus huius diſtinctionis quoad *cauſas criminales*, quippe in quibus condemnatio quidem *ex confeſſione vera* fieri poteſt, modo de corpore delicti conſtet, *F) v. l. 1. §. ſ. ff. de quæſtion.* nunquam autem *ex ficta*, *G)* quippe quæ non eſt luce meridiana clarior, qualis in criminalibus requiritur.

F) Adde: Et, ſi confeſſio *ſub tormentis*, vel *metu tormentorum*, facta, confeſſus in illa perſeueret, h. e. biduo vel triduo poſt, extra locum torturæ, eandem *ratihabeat.* vid. CONSTIT. CRIM. *art. 56.*

G) Scilicet in delictis *grauioribus*, in quibus *tortura* inquiſiti reſponſio elicitur. Aliud de delictis *leuioribus* dicendum, quorum pœna corporis adflictiua non eſt, vbi reus, ſi ipſi *reſponſio* iniuncta ſub *pœna confeſſi*, ille vero adhuc dum reſpondere nolit, *pro confeſſo ac conuicto* habetur, ac in pœnam *arbitrariam* condemnatur. CARPZOV. *Pract. Crim. part. 3. Q. 113. n. 59.*

Quibus Ex Cauſis in Poſſeſſionem Eatur,

&

De Rebus Autoritate Iudicis Poſſidendis ſeu Vendundis.

DISTINCTIO I.

Inter Miſſionem ex *primo* & *ſecundo decreto*.

Iuxta communem DD. explicationem *miſſio ex primo decreto* decerni ſolet *ob ſolam contumaciam A)* alterius, vt ſcilicet tædio compoſſeſſionis adfectus, veniat reſponſurus, ſiue pariturus: aſt *miſſio ex ſecundo decreto* nunquam fit *ſine præuia cauſa*

A) Imo & ob *abſentiam*, ſi abſens *non defendatur*, *l.13.ff.h.t.* vel *captiuus*, *l.6.§.2. ff.eod.* vel *pupillus*, *furioſus*, qui habentur pro abſentibus. *l.5. l.10.ff.eod.*

cauſæ cognitione, *ſed meritis cauſæ perſpectis & excuſſis*, demum decernitur, v. Lauterbachium, Weſenbecium, Struuium aliosque paſſim *ad h.t.*

Prior nudam cuſtodiam tribuit, ſeu ius compoſſidendi, *B)* & ergo etiam in bona furioſi, pupilli, & ſimilium, fieri poteſt; ſed *poſterior* ius dominii in caſu de damno infecto, in reliquis autem ius vendendi & ſubhaſtandi bona debitoris, tribuit, *v. cit. DD.* & ergo in bona eorum, qui ſub tutela vel cura adhuc ſunt conſtituti, fieri nullo modo poteſt.

Ita de iure Romano, ſecundum DD. opinionem. Sed quæritur, quid hodie in praxi obtineat? Sane quemadmodum non improbabilis eſt eorum opinio, qui aſſerunt, diſtinctionem inter miſſionem ex primo & ſecundo decreto, iuxta LL. Romanas, abſtrahendo a DD. opinione, nullibi, niſi

B) Qui ex primo decreto miſſus, *non poſſidet*, ſed ſaltem *in poſſeſſione* eſt, ac *cuſtos* potius, quam *poſſeſſor*, *L. 12. ff. h. t. L. 5. pr. Vt in poſſeſſ. legat. L. 3. §. 23. ff. de A. vel A. P. L. 3. §. 8. ff. Vti poſſidet.* MENOCH. *de Remed. retin. poſſeſſ. Remed. 3. n. 172.* Ergo miſſio ex primo decreto non tribuit *Ius compoſſidendi*, ſed ſaltem *condetentionem*, cum ipſo domino adhuc poſſidente.

niſi in caſu damni infecti, eſſe fundatam, & in reliquis cauſis ex vno eodemque prætorio edicto, & bona poſſeſſa & vendita fuiſſe, v. Schiffordegher. *ad Ant. Fabr. de error. pragmat. lib. 1. tract. 7.* Dn. Lic. Cellarius, adfinis noſter coniunctiſſimus, *in Diſp. inaug. de Proceſſ. iur. Rom. antiqu. cap. 3. num. ult.* cui quæſtioni theoreticæ tamen in præſenti non immorabimur: ita quoque aſſerere nullus dubito, miſſionem ex primo & ſecundo decreto in foris Germaniæ nunquam receptam C) & frequentatam fuiſſe, cum ad coercendam contumaciam alia apud nos remedia adhiberi ſoleant, v. g. mulctæ indictio, perſonæ prehenſio, pignorum captio; vnde ea miſſio, quæ apud nos poſt præce-

den-

C) Vereor, vt hoc *generatim* adſeri poſſit. In *Marchia Brandenburgica*, *Electoratu Saxoniæ*, *Hannouerano*, *Ducatu Magdeburgico*, *Principatu Halberſtadienſi*, *Anhaltino*, cetera, miſſio illa haud obtinet; e contrario *Iure Bauarico*, *Auſtriaco*, *Wurtenbergico*, *Statutis Friburgenſibus*, *Ordinat. proc. Megapolitan.* cetera, eandem *diſerte confirmatam* eſſe, luculenti teſtes ſunt B. STRYK. *Vſ. mod. ff. h. t. §. 2. ſeqq.* DN. BÖHMER. *Iur. Eccleſ. Lib. 2. Tit. 15. §. 14. ſeq.* Add. HAHN. *ad Weſenbec. Tit. de Damn. infect. n. 6.* qui vſum fori *Ducatus Brunſuic. Luneburg.* laudat.

dentem rem iudicatam decernitur, licet facultatem ſubhaſtandi & vendendi bona debitorum, creditoribus tribuat, ex ſecundo tamen decreto dici nequit, quia primum non præceſſit.

Iure Saxonico quidem executio varios actus in ſe continet, nempe *executionem in ſpecie talem*, & *immiſſionem*, &c. de quibus fuſe agit Suendendörff. *in not. ad Fibig. c. 2. §. 24. p. 937. ſqq.* ſed ſi quis eos cum diſtinctione inter primum & ſecundum decretum comparare, vel plane exinde deducere vellet, is eodem defectu iudicii laboraret, quam alii, qui diſputant, an arreſtum Saxonicum pignus prætorium, an iudiciale *D)* tribuat, cum reuera ad neutrum referri poſſit.

LIB.

D) Hodie in *Electoratu Saxoniæ* hæc controuerſia eſt otioſa, quum ibi arreſtum *nullum amplius ius pignoris* tribuat, per ORD. PROC. RECOGN. *Tit. 48.*

LIB. XLII. TIT. VI.

De Separationibus.

DISTINCTIO I.

Inter *veram* & *quaſi* Separationem.

Q*uaſi ſeparationem* iam ſupra deſcripſimus *lib. XIV. Tit. IV.* quod ſcilicet hodie ad eum caſum pertineat, ſi quis mercator plures tabernas habet, & aliquis huius, alter alterius intuitu ſpeciatim credidit, & quod tunc quilibet quoad bona in illa taberna reperta, cuius intuitu contraxit, orto concurſu creditorum, præferatur reliquis, qui aliarum tabernarum intuitu crediderunt.

Pertinet tamen ad *quaſi ſeparationem* etiam ille caſus, ſi venditor vel ante, vel in ipſa traditione, *hypothecam in re vendita ſibi reſeruauit*, *A)* qui omnibus reliquis, etiam

A) Etiam extraiudicialiter, ſecundum CARPZ. *loc. cit.* At *hodie* in Electoratu Saxoniæ *iudicialis* reſeruatio requiritur, inſuper venditor reſpectu bonorum *feudalium*, *conſenſum*, reſpectu *allodialium*, *confirmationem iudicialem* impetrare, idque

etiam hypothecam generalem anteriorem in debitoris bonis habentibus, præfertur, Carpzou. *P. 1. Conſt. 28. def. 20.* Item *creditores, qui intuitu peculii caſtrenſis crediderunt*, poſſunt eius peculii ſeparationem petere a reliquis bonis, & propterea præferuntur aliis creditoribus, qui filio ante militiam crediderunt, *l. 1. §. 9. ff. h. t.* Brunnem. *Proc. Conc. Cred. cap. 5. §. 13. ibique B.* Stryk. *in not.*

Veræ ſeparationis beneficium datur in eo caſu, quando e. g. pater & filius breui tempore vnus poſt alterum mortuus, vterque autem maximum æris alieni cumulum poſt ſe reliquit, tunc ſcilicet creditores patris, quando vident, bona filii propriis ipſius creditoribus non ſufficere, ſeparationem vtriusque maſſæ bonorum hereditariorum petere poſſunt, *v. l. 1. §. 1. & t. t. ff. de ſeparat.* ita tamen, vt hoc intra quinquennium *B)* poſt aditionem numerandum, fiat, & bona non ſint ita commixta &

con-

idque in libros conſenſuales referri curare debet. ORD. PROC. RECOGN. *Tit. 42. §. 7.*

B) Conf. AVCTOR *Doctr. ff. h. t. §. 4.* vbi in *Marchia, Pomerania, Ducatu Megapolitano*, nullam præſcriptionem beneficio ſeparationis obſtare tradit.

confuſa, vt ſeparari plane non poſſint. *d. l. 1. §. 12. & 13. eod.*

Introductum eſt hoc beneficium *in gratiam creditorum chirographariorum*, quibus enim hypotheca a patre conſtituta fuit, illi quoque abſque eodem, creditoribus filii præferuntur, niſi forſan creditores filii ſint priuilegiati, v. g. impenſæ funeris, dos vxoris, mercedes famulorum, &c. nam & tunc creditoribus paternis hypothecariis hoc beneficio opus eſt, niſi velint, vt bona ab eiusmodi creditoribus filii ſibi præripiantur, vid. Brunnemann. *l. c. §. 12. ibique not.* add. Einleit. zum Concurs-Proceß *cap. 11.*

LIB. XLII. TIT. VII.

De Curatore Bonis Dando.

DISTINCTIO I.

Inter Curatorem *Bonorum* & *Minoris, Furioſi* &c.

Ad curam *minoris, furioſi, prodigi,* &c. *inuitus aliquis compellitur*, niſi iu-

ſtas

ſtas & in LL. approbatas cauſas habeat, quia illa cura eſt munus publicum, *pr. l. de excuſ. tutor.* quod in *cura bonorum* ſecus, *l.2. §.3. ff. h.t.* vnde etiam curatores minorum gratis adminiſtrant, non vero curatores bonorum.

Minores &c. habent tacitam hypothecam in bonis curatorum ſuorum, *l. 20. C. de admin. tutor.* non autem *creditores* in bonis curatoris bonorum, nec *abſentes*, nec *ab hoſtibus capti*, nec *heredes ſcripti de adeunda hereditate deliberantes*, quorum vice curator interim bona adminiſtrat, *v. l. 19. §. 1. l. 20. l. 21. & l. 22. ff. de reb. aut. iud. poſſid.*

In eo tamen conuenit vtraque cura, quod inuentarium ſit conficiendum, ſatisdatio præſtanda, & iurandum de fideli bonorum adminiſtratione, Lauterbach. *Comp. iur. h. t.* quamuis hodie plerumque iuramentum nec a minorum, nec a bonorum curatoribus exigi, *A)* ſed iudex nuda promiſſione contentus eſſe ſoleat.

Sed

A) In *Electoratu Saxoniæ* iuramentum hoc a Curatore vtrique exigitur, ORD. PROC. RECOGN. *Tit. 41. §. 1.* Contra in terris *Sceptro Boruſſico* ſubiectis, Curator ſaltem *manu ſtipulata loco iuramenti*, ad fidem

Sed vtrum etiam in quæſtione: *quisnam curator eſſe poſſit*, ab vna cura ad alteram valebit conſequentia? *In dubio*, inquit Lauterbach. *l. cit. valet argumentum ab illo* (minoris) *curatore ad hunc*, (curatorem bonorum) *niſi ratio, vel iuris diſpoſitio obſtet, quod ſit, e. g. quod creditorum aliquis hic eſſe poſſit curator*, *B*) *l. 2. §. 4. h. t.* Hactenus bene. Sed ea non videntur adeo cohærere, quæ paulo ante adducuntur, *quod ſcilicet nec minor, nec mulier curam bonorum*

dem ac diligentiam ſe obligat. Königl. Preußl. *Hypoth.* und *Concurs*-Ordn. *§. 100.*

B) Alia quæſtio eſt: Num creditorum aliquis etiam *curator litis* eſſe poſſit? quam rotunde negat SCHILTER. *Prax. Iur. Rom. Exerc. 46. §. 50.* quum nemo ſibi ipſe reſpondere poſſit. Nihil tamen obſtat, quo minus ad hanc quoque curam creditor admittatur, ita vt vel nomen ipſius a reliquis *vt liquidum* adnoſcatur, vel permiſſa curatori iuris ſui perſequutione, *vni ex concreditoribus* reſponſio ad euincendam prioritatem, iniungatur. DN. MENCKEN. *Tractat. Synopt. Proc. Tit. 41. §. 3.* Adde, ſi lubet, *Not. ad* AVCTOR. Einleit. zum *Concurs*-Proc. *cap. 4. §. 4. lit. F.*

rum gerere valeat. Nam quod textus adductos attinet, *l. 9. ff. de curat. furioſ. l. f. ff. de tutel. l. f. C. de legit. tut.* in illis nihil reperitur, ex quo aſſertum Lauterbachii ſtabiliri poſſit. Sed tamen ad identitatem rationis prouocat Lauterbachius. Imo potius ego ad disparitatem prouocarem. Minores, furioſi, prodigi, & ſimiles, non gaudent ipſi iudicio discretiuo, vt ſibi curatores conſtituere poſſint, & ergo quia conſtitutio ab aliis fieri debet, ab his tales perſonæ ſunt conſtituendæ, quæ optime rebus minorennium præeſſe poſſunt, alias enim ad rationes reddendas obſtringerentur conſtituentes, *quod minori, furioſo, &c. tanquam tertio, præiudicium intulerint* per negligentiam ſuam: at vero creditores ipſi curatorem bonorum ſibi eligunt, *C)* vnde ipſis quoque liberum, qualem perſonam, an idoneam, an minus idoneam, huic officio præficere velint; quis enim dubitaret, *creditores ſibi ipſis præiudicium inferre poſſe?* Conuenit praxis cum noſtra opinione, vbi haud raro viduæ debitoris adminiſtratio bonorum conceditur, vid. Brunnem. *de Proc. conc. cred. c. 1. §. 11.*

C) Fallit hoc in *Electoratu Saxoniæ*, vbi *Iudex ex officio* Curatorem conſtituit. ORD. PROC. RECOGN. *Tit. 41. §. 1.*

DISTINCTIO II.

Inter *Curatorem Bonorum* & *Contradictorem.*

Diuerſa hæc officia in proceſſu concurſus creditorum locum ſuum inueniunt. Scilicet *curator bonorum* bona, ad maſſam debitoris pertinentia, adminiſtrat, fructus colligit, omniaque reliqua, vice debitoris, expedit, vno verbo: *œconomiæ eſt præpoſitus*; at *contradictor* nomine debitoris abſentis, vel mortui, inſtrumenta, a creditoribus producta, recognoſcit, & exceptiones pro re nata, iisdem opponit, & ſic *proceſſus curam gerit.* Sæpius tamen officium curatoris bonorum & contradictoris in vna eademque perſona concurrit, præſertim ſi bona, ad concurſum ſpectantia, non adeo ampla ſunt, vt eorum adminiſtratio integrum hominem requirat, *v.* Brunnem. *loc. cit.* §. *10.* conf. Einleit. zum Concurs-Proceß *c. 4. tot.*

LIB. XLIII. TIT. I.

De Interdictis, ſiue extraordinariis Actionibus, quæ pro his competunt.

DISTINCTIO I.

Inter *Interdicta & Actiones* (ordinarias.)

Hæc duo ab inuicem quam accuratiſſime diſtinxiſſe multum refert. Scilicet in *interdictis* ſolummodo ad *poſſeſſionem* prouocatur, ea loco medii termini in libello ponitur, & in conceptione ſententiæ, non rei, ſed poſſeſſionis reſtituendæ, *A)* mentio iniicitur, quæ omnia in *actionibus* ſecus ſe habent, vbi ſtatim in libello ad *ius* prouocatur, & de eo per integrum proceſſum diſputatur.

Dein-

A) Hoc ad interdictum *recuperandæ* poſſeſſionis pertinet, vbi poſſeſſio ablata reſtituenda; in interdictis *adipiſcendæ* & *retinendæ* poſſeſſionis agitur ad poſſeſſionem *adipiſcendam* & *conſeruandam*.

Deinde in interdictis *proceſſus non ita eſt prolixus*, prout quidem in actionibus. Ita communiter. Sed non absque iuſta cauſa quæritur, in quonam hoc demum ſeſe exſerat, cum in compendiis communiter altum de eo ſit ſilentium. Puto, totam rem ad hæc duo puncta recurrere: (I.) *in actionibus quæcunque exceptiones admittuntur*, etiamſi altioris indaginis ſint, vnde ſi v. g. hereditatis petitionem inſtituo, reus autem opponit, rem aliquam, in hereditate repertam, non pertinuiſſe ad defunctum, & ad teſtes prouocat, expectandum eſt examen teſtium, & antequam ſuper depoſitione ab eiusmodi teſtibus facta, cognouit iudex, ad ſententiam definitiuam non deuenitur, quamuis aliquot anni prætereant. E contrario autem *in interdictis nullæ admittuntur exceptiones*, *niſi quæ in continenti*, *id eſt*, *per inſtrumenta*, *vel per iuriſiurandi delationem*, *probari poſſunt*, reliquæ ad reconuentionem reiiciuntur, *v. l. vlt. C. quor. bon.* Menoch. *de remed. adipiſc. poſſ. remed. 1. num. 103.*

(II.) *In actionibus admittuntur contra ſententiam prolatam quæcunque remedia ſuſpenſiua*, ſiue ea ſub nomine appellationis, leuterationis, reuiſionis, ſiue quocunque alio veniant; ſed vero *in interdictis, remediis eiusmodi ſuſpenſiuis locus plane non*

datur,

datur, *B)* quæ enim in illis amittitur, id facile deinde per petitorium, vel ſi mauis, per reconuentionem, reparari poteſt, conf. B. Stryk.

B) In interdictis *adipiſcendæ* & *recuperandæ* poſſeſſionis adpellatio locum non habet quod ad effectum *ſuſpenſiuum*, bene tamen quod ad *deuolutiuum*. STRYK. *loc. cit.* Quod ad interdicta *retinendæ* poſſeſſionis attinet, diſtinguendum inter poſſeſſorium *ordinarium* & *ſummarium*, ſeu *ſummariiſſimum*, in *illo* quod ad *vtrumque effectum*, adpellationi locus, AVCTOR Einleit. zum *Ciuil*-Proc. *cap. 2. §. 25.* in *hoc* vero ſaltem quod ad effectum *deuolutiuum*. BRVNNEM. *Proc. ciuil. cap. 28. n. 14.* DN. de BERGER *Elect. proc. poſſeſſor. §. 43.* De iure *Electorali Saxonico* neque leuterationi neque adpellationi in *poſſeſſorio ſummariiſſimo* locus, quantumuis damnorum & expenſarum nomine ſimul pronuntiatum, vel vtraque pars eandem interponat; Iudex inferior tamen interpoſita adpellatione, *Relationem* ad Superiorem facere debet, perſoniſque *beneficio reſtitutionis in integrum gaudentibus*, loco illius, (reſtitutionis) Leuteratio vel Adpellatio, nullum vero vlterius remedium, indulgetur. ORD. PROC. EL. SAX. RECOGN. *Tit. 35. §. 1.* & Anhang. *§. 19.*

B. Stryk. *de act. forenſ. inueſt. ſect. 2. membr. 3. §. 9.* Einleit. zum Ciuil-Proceß *cap. 1. §. 6. ſeqq.*

DISTINCTIO II.

Inter Interdicta *adipiſcendæ, retinendæ & recuperandæ Poſſeſſionis.*

Vſus duplex eſt. Interdicta *retinendæ* poſſeſſionis cum iudicio petitorio nunquam cumulari poſſunt, *C)* quoniam hoc contradictionem manifeſtam inuolueret, fundare ſe in poſſeſſione, & tamen rei reſtitutionem ſimul petere. Sed quid de interdictis *adipiſcendæ, vel recuperandæ poſſeſſionis?* De iure canonico iuxta *c. 3. & ſeqq. X. de cauſ. poſſ. & propr.* vt & de praxi, cumulationem fieri poſſe, concedit Lauterbach. *Comp. iur. h. t.* de iure ciuili autem negat per *l. 1. C. de appell. D)* ſed illa lex ei ne

C) Niſi actor dubius *alternatiue* petitionem formet, vt *ipſe* vel *poſſeſſor declaretur*, vel, ſi non poſſidere deprehendatur, *reus in petitorio condemnetur.* vid. Dn. de BERGER *Elect. proc. poſſeſſor. §. 40.* & in *Oecon. Iur. Lib. 4. Tit. 30. §. 5. Not. 12.*

D) Clariores hanc in rem textus ſunt in *l. 13. C. de R. V. l. 3. C. de Interdict.* quos, quum gene-

ſe minimum quidem patrocinatur. *Prius de poſſeſſione pronunciare & ita crimen violentiæ excutere præſes prouinciæ debuit: quod cum non fecerit, iuſte ab eo prouocatum eſt*, hæc ſunt verba citatæ legis, ergo, infert Lauterbach. cumulatio interdicti recuperandæ poſſeſſionis cum petitorio non eſt permiſſa. Sed quis hoc ex allegatis verbis inferret? Non obſcure potius ex lege colligitur, actorem egiſſe interdicto vnde vi, reum autem de dominio excepiſſe, & iudicem neglecto illo interdicto, de dominio cognoſcere voluiſſe, quo ipſo maximum actori præiudicium inferebatur. Sed quid hoc ad caſum, ſi actor vtrumque remedium ſimul cumulat? Alii aliter ſtatum controuerſiæ ex *d. l. 1.* formant, de quibus vid. Brunnemann. *Comm. ad eand.* ſed horum ſententia, quamuis nobis non contradicat, minus tamen accurata eſſe videtur.

Deinde *interdictum retinendæ poſſeſſionis adhuc fauorabilius eſt, quam reliqua.* Vocatur enim *ſummariiſſimum*, quod prædicatum reliquis, quantum ego quidem memini, nullibi adſignatur. Et hoc nec libellum requirit, nec litis conteſtationem, nec ſolennem probationem, nec ordinariam

generatim loquantur, de quocunque poſſeſſorio intelligi debere, recte admonet FRANZK. *Exerc. 14. Q. 2.*

riam etiam ſententiam, ſed quam primum actor quocunque modo poſſeſſionem ſuam demonſtrauit, iudex quoque per modum nudi mandati, (manutenentiæ vocant aliqui) integram cauſam definire poteſt. In reliquis autem interdictis conſuetus proceſſus obſeruatur, duobus illis ſolum exceptis, de quibus modo dictum, ſcilicet ratione exceptionum altioris indaginis, & beneficiorum ſuſpenſiuorum.

DISTINCTIO III.

Inter Poſſeſſorium *ſummarium*, *Poſſeſſorium ordinarium*, & *Petitorium*.

De modo procedendi in poſſeſſorio *ſummario* (*ſummariiſſimo*, & *momentaneo*, prout alias etiam vocatur,) iamiam ad *diſt. præc.* diximus. Hoc nunc addendum erit, quod in eodem de hiſce duabus quæſtionibus ſolum agatur; (1) *an quis poſſideat?* & (2) *quis iuniorem & præſentem E) poſ-*

E) In *Electoratu Saxoniæ* is, qui in poſſeſſione vel quaſi defendi cupit, reſpectu *ſeruitutum continuarum*, poſſeſſionem *annuam*, reſpectu *discontinuarum* autem, *præter hanc annuam* poſſeſſionem, adhuc *tres*

poſſeſſionem habeat? ex quarum quæſtionum deciſione leuiuſculum ſaltem & momentaneum præiudicium in alterum, contra quem pronuntiatur, redundat, vnde profluit, quod exceptiones contra perſonas & dicta teſtium *F)* hic non admittantur, ſed recta via ad deciſionem cauſæ progrediatur iudex, v. Menoch. *de retin. poſſ. remed. vlt. n. 6.* Gail. *1. obſ. 17.* Cludius *rer. quotid. cap. 7. ſeq.* Poſthius, item Pfannkuch *in pecul. tract. de poſſeſſorio ſummariiſſimo.* Struu. *S. I. C. Ex. 45. th. 173.*

In *poſſeſſorio ordinario* hæ quæſtiones ventilari conſueuerunt: (1) *quomodo quis poſſideat*, an vi, clam, precario, an iuſte? (2) *quis in antiquiore poſſeſſione conſtitutus deprehendatur?* & hic libello, litis conteſtatione, & plenis probationibus opus eſt, nec ra-

tres diuerſos actus poſſeſſorios doceat neceſſe eſt. ORD. PROC. RECOGN. Anhang §. *19.*

F) Idem de *interrogatoriis* dicendum: quin potius mox in primo termino rotulus teſtium producitur. Vbi notandum, quod in *Electoratu Saxoniæ*, *excluſis penitus rotulis*, *a Notario conſcriptis*, nonniſi *iudiciales* admittantur, a *quocunque etiam iudice* confecti. ORD. PROC. RECOGN. Anhang. *d. §. 19.*

ratione modi procedendi, vlla inter hoc poſſeſſorium & iudicium petitorium adeſſe videtur differentia, *G.)* Gail. *1. obſ. 7. n. 2.* Struu. *loc. cit.* vnde prouenire exiſtimo, quod ſæpe litigantes, poſthabito illo, ſtatim ad petitorium ſeſe conferre ſoleant.

In

G) Hæc ſententia quidem plerorumque DD. calculo adprobata, recte tamen ab ea diuortium faciunt DN. de BERGER *Elect. proc. poſſeſſor.* §. *1.* DN. BÖHMER. *diſp. de Vero Vſu Remed. poſſeſſor.. ordinar. & ſummar. cap. 1.* §. 7. quum omne iudicium poſſeſſorium ſit *præparatorium petitorii*, adeoque *natura* non poſſit non eſſe *ſummarium.* Vnde, quod obiter addimus, minus recte ſe habet diſtinctio poſſeſſorii retinendæ poſſeſſionis, in *ordinarium* & *ſummarium*, quum ſpectato *procedendi modo*, nullum detur poſſeſſorium *ordinarium.* Ex veriori ergo ſententia in poſſeſſorio ſic dicto *ordinario* ſufficit *qualis qualis* facti narratio, eique congrua reſponſio, probatio *ſummaria*, vel *demonſtratio*, ita vt nullis opus ſit articulis, nulla citatione ad videndum iurare teſtes, tum & cetera proceſſus ſollemnia exulent. DN. de BERGER *l. c.* Verum, vti prædixi, vſus fori hanc ſententiam deſtituit.

In *petitorio* autem de *titulo poſſeſſionis* disquiritur, v. g. an aliquis iure emtionis, donationis, inueſtituræ &c. ea re, vel iure, vtatur. Et hoc petitorium effectum perpetuum tribuit, poſſeſſoria autem, ſiue ſummarium, ſiue ordinarium nomines, ad tempus ſaltem proſunt illi, in cuius gratiam ſententia fertur. Poteſt tamen fieri, vt interdum etiam in hoc petitorio *de poſſeſſione* disputetur, de tali ſcilicet, quæ titulum producit, id eſt, quando quis tamdiu iam ſe in poſſeſſione fuiſſe aſſerit, vt *per præſcriptionem* nunc tutus eſſe queat. Hoc ergo petitorium nihil aliud eſt, quam in corporalibus rei vindicatio, in incorporalibus actio confeſſoria, &c.

Reliquæ diſtinctiones, quæ ſub hoc titulo occurrere ſolent, v. g. inter interdicta *realia & perſonalia:* inter *ſimplicia & duplicia:* inter *prohibitoria*, *reſtitutoria*, *exhibitoria & mixta*, &c. nullam in praxi vtilitatem præſtare videntur, & hoc eo minus quidem, quo ipſi DD. quoad explicationem nonnullorum, in ſpecie interdictorum realium & perſonalium, nondum in theoria inter ſe conueniunt, vid. quæ adducit Lauterb. *Comp. iur. h. t.*

LIB. XLIII. TIT. XIIX.

De Superficiebus.

DISTINCTIO I.

Inter *Emphyteuſin* & *Superficiem*.

Cum de differentia genuina inter duas has dominii vtilis ſpecies pauca communiter, ea tamen adhuc paululum obſcure, tradi ſoleant, operæ pretium eſſe duxi, vt nonnulla hic de ea materia breuiter adferrem.

Illud apud omnes fere deprehendes: *ſuperficiarium ſuperficiei quaſi dominum eſſe, in ipſo autem fundo nullum ius ei competere*, quo tamen gaudet emphyteuticarius, ad quem vtrumque, & ſuperficies & ipſe fundus, pertinet.

Item: *ſuperficiarium* ſoluere quotannis *ſolarium*, den Grund- ſiue Boden-Zinß, *emphyteuticarium* autem *canonem*, den Erb-Zinß.

Lauterbachius etiam in *Comp. iur. h. t.* ſuperficiei ius iuxta omnes cauſas, iuxta obiectum, ſubiectum, effectum, contraria, & quæ ſunt eiusmodi bellaria alia, ſollicite reſoluit; ſed perlege omnia hæcce, & tunc

tunc reſponde, quid ſolatii exinde tibi obuenerit.

Deprehendit hunc defectum Dn. Beyer *Poſit. ff. h. t. ab init.* & ergo, vt differentiam inueniret inter emphyteuſin & ſuperficiem, nonnullas coniecturas in medium profert, ſcilicet, *emphyteuſin ad ſolos agros, hortos, &c. ſuperficiem vero ad ſola ædificia pertinere*, add. Struu. *Ipr. R. G. F. l. 2. tit. 12. §. 19.* item, *emphyteuſin quondam ad ſolos fundos publicos, ius ſuperficiarum autem ad fundos priuatos pertinuiſſe;* ſed ex hiſce etiam coniecturis parum ſolatii oritur. Quis enim dubitaret, quin emphyteuſis etiam ad ædificia pertineat? & poſito, non conceſſo, quod emphyteuſis olim ad ſolos fundos publicos pertinuerit, quid hoc ad nos? ſcire enim volebamus, quænam hodie poſſit dari differentia inter emphyteuſin & ſuperficiem? quæ ipſe agnoſcit Dn. Beyer. vnde & ſequentia verba addit: *ea vero* (ſcilicet emphyteuſi) *ad priuatos extenſa, quæ differentia præter obiectum ſuperſit, hucusque ignoro*, item paulo ante: *ſe malle diſtincte oſtendi, quomodo ius ſuperficiarium ab emphyteuſi in effectu differat.*

An ergo & nos ignorabimus? Non quidem aliis prudentiores ſumus; ſed tentare tamen licebit, annon & nobis coniectura ſuperſit, ex qua rei aliquod lumen acce-

dere poſſit. Scilicet putamus, DD. recte aſſerere, *quod ſuperficiarius quaſi dominium ſuperficiei, emphyteuticarius autem ipſius fundi habeat*, ſed hoc ſaltem deſideramus, vt res ſubiecto exemplo aliquo clarior reddatur. Ergo ſuperficiem ab emphyteuſi *intuitu emolumentorum* differre exiſtimamus. Emphyteuticarius omnia commoda percipit, ſiue ex ſuperficie, ſiue ex fundo proueniant, ſed ſuperficarius ea ſaltem, quæ ſuperficies profert. Hinc ſi theſaurus inueniatur, ſi metallifodinæ, ſi ſalinæ detegantur, hæc omnia quidem ad emphyteuticarium pertinebunt, quia *in fundo* fuerunt, minime autem ad ſuperficiarium, quia *ex ſuperficie* non proueniunt. Superficiario enim hoc ſaltem licitum eſt, vt in ſuperficie ædificare, plantare, ſerere, &c. & ex hac inædificatione, plantatione & inſitione commodum percipere poſſit, quæ autem *in fundo latent*, ad ipſum plane non ſpectant, vnde emphyteuticarii conditio hoc intuitu potior eſt, vid. Bitſchius *de theſaur. c. 8. §. 143.*

Denique & hæc notabilis admodum eſt differentia, *quod emphyteuſis quidem ob canonem intra triennium non ſolutum amittatur, non autem ſuperficies.* Quamuis enim Struuius *Iurispr. Rom. Germ. l. 2. tit. 13. th. 13.* & alii etiam, contrarium ſuſtineant, & ſuperficiem pariter, vt emphyteuſin, in-

tra

tra dictum tempus ob non ſolutum ſolarium amitti putent: ipſis tamen hæc in analogia iuris Romani fundata regula obſtat: *quod quotiescunque certa pœna in LL. expreſſa non eſt, toties ſolummodo ad intereſſe agi debeat. A)*

LIB. XLIII. TIT. XX.

De Aqua Quotidiana & Æſtiua.

DISTINCTIO I.

Inter Aquam *quotidianam* & *æſtiuam.*

Quomodo quoad conceptum differant, exprimit Vlpianus in *l. 1. §. 3. ff. h. t. quotidiana*, inquit, *ab æſtiua vſu differt, non iure. Quotidiana ea eſt, quæ*

A) Cui adcedit vulgata DD. regula: *quod in pœnalibus non facile admittenda ſit extenſio.* Conſent. ANT. MATTHÆ. *de Auction. lib. 1. cap. 11. §. 17. ſeqq.* HERT. *Diſp. de Iur. ſuperficiar. ſect. 2. §. 6.*

quæ duci aſſidue ſolet, vel æſtiuo tempore, vel hyberno; æſtiua autem ea eſt, qua æſtate ſola vti expedit, v. g. ad irrigandos hortos, & computatur æſtas ab æquinoctio verno vsque ad æquinoctium autumnale, vt ſic ſenis menſibus æſtas atque hyems diuidatur *d. l. 1. §. 32. h. t.*

Vſum in eo ponit Lauterbach. *h. t.* quod *in interdicto de aqua quotidiana*, hoc ſaltem ratione fundamenti agendi probandum ſit, actorem in anno ante iudicium acceptum, hac ſeruitute vſum fuiſſe, *etiam vnica die vel nocte*, *l. 1. §. 4. ff. h. t.* In interdicto *de aqua æſtiua* autem requiri vſum *per ſex menſes* prioris æſtatis, *l. 1. §. 31. eod.* Verum enim vero ſi inſpicimus *d. §. 31.* tunc in eo non deprehendimus, quod ICtus *vſum continuum per ſex menſes requirat*, ſed hoc ſaltem, actorem probare debere, quod præcedente æſtate in poſſeſſione vel quaſi fuerit, opponit enim æſtatem hyemi, & hoc nihil proficere dicit, licet probare queam, me præcedente hyeme vſum fuiſſe.

Ergo nulla alia differentia remanebit, quam hæc: *Quemadmodum in interdicto de aqua quotidiana probandum, quod actor præcedente anno aliquando, licet vna die vel nocte, ſeruitute aquæductus vſus ſit: Ita in interdicto de aqua æſtiua probari oportet,*

tet, quod præcedente æſtate aliquando, licet vnica die vel nocte, eundem vſum actor habuerit.

Lib. XLIV. Tit. I.

De Exceptionibus, Præſcriptionibus, & Præiudiciis.

DISTINCTIO I.

Inter Exceptionem *iuris ſiue actionis, & facti ſiue intentionis.*

Vt accurate hic procedamus, ante omnia monendum eſt, per exceptionem facti nos non intelligere *nudam negationem intentionis actoris*, ſed *affirmationem noui facti*, quam inficiationem prægnantem dicunt. Si enim vocabulum *exceptionis* etiam de eiusmodi nuda negatione prædicaretur, aperte exinde *negatiuæ litis conteſtationis* & *exceptionis* (rerum diuerſiſſimarum) confuſio proflueret, (v. omnino Hilliger *ad Donell. l. 22. c. 1. lit. D.*) & tunc locum haberet, quod aſſerit

 Hahn.

Hahn. *ad Weſenb. h. t. num. 2. voc. excipere*, *quod ſcilicet diuiſio illa, qua DD. exceptiones in iuris, ſeu iuris agendi, & facti ſiue intentionis diſpeſcunt, non ſit generis in ſpecies, ſed vocabuli æquiuoci in ſua æquiuocata*, addita ratione, *quoniam exceptiones facti non ſunt proprie exceptiones, ſeu excluſiones actionis, ſed vere negationes*. Ergo hic ſtatim ab initio ſupponimus exceptionem facti non conſiſtere in nuda negatione, ſed affirmationem ſimul inuoluere.

Sed quæritur nunc, quænam inter exceptiones iuris & facti intercedat differentia? Communiter ita dicere ſolent DD. *Exceptio facti* eſt, quando quis nullam actori competere actionem affirmat: *exceptio iuris* autem, quando quidem fatetur reus, ſummo iure actori eandem competere, ſed tamen illam per aliquam allegationem (tanquam iniquam) differri vel excludi ſubiungit, vid. Brunnemann. *Proc. ciu. c. 6. num. 1.* Lauterbach. *Comp. Iur. h. t. ab init.* Struu. *S. I. C. Exerc. 46. theſ. 4.* & alios plurimos, qui tamen in omnibus etiam inter ſe non conueniunt. Poſſem hic late excurrere, & diuerſas interpretum definitiones corradere, ſed ſcopus meus hoc non patitur, vnde miſſis aliorum opinionibus, illud ſaltem breuiter adducam, quid ego de hac diſtinctione ſentiam, & pri-

mo

mo quidem, quomodo eandem mihi concipiam.

Ita autem procedendum eſſe videtur. Defenſiones reorum apud Romanos vel deſcendebant *ex iure antiquo ciuili*, vel ex poſtfacto demum *a prætore* introductæ erant. Ex hac differentia inter ius ciuile & prætorium ſimul etiam fundamentum diſtinctionis noſtræ præſentis deducitur. Scilicet, ſi reus ſe in æquitate iuris prætorii fundat, pro actore autem ius ſubtile vetus militat, tunc exceptio, a reo oppoſita, *iuris* vocari conſueuit, id eſt, reus dicit: *Tibi quidem ius aliquod ſtrictum, ſummum & ſubtile, competit, in quo actionem tuam fundare potes, ſed illud ius eſt contra æquitatem*, ego itaque tibi exceptionem *iuris*, id eſt, *iuris ſubtilis*, oppono. Hic ergo actor *aliquem prætextum* habet.

Quod ſi vero actor ne quidem ius vetus ſubtile pro ſe allegare queat, & ſic *nullum prætextum* inſtituendi actionem habeat, tunc exceptio *facti* vocatur, id eſt, reus dicit: *Tibi nullum plane ius competit, ſed tuam actionem de facto contra me inſtituis.*

Si dubitas, vtrum hæc mea explicatio ad ſenſum iuris Romani quadret, euolue *pr. §. 1. & ſeqq. vsque ad §. 6. I. de except.* in quibus nonnullæ exceptionum ſpecies referuntur, quæ omnes ad exceptiones *iuris* per-

pertinent. Scilicet deprehenditur ibi exceptio *metus*, *doli*, *pacti*, *iuriſiurandi*, *rei iudicatæ &c.* & toties quoties repetitur, quod quamuis metus, dolus, pactum &c. interuenerit, nihilominus tamen adhuc competat actio *ipſo iure (v. §. 5. I. d. t.)* ſed quod ſimul tamen iniquum ſit, reum eo nomine condemnari, & propterea huic, eius intuitu, exceptio concedatur.

Res ex comparatione fiet clarior. Sic *acceptilatione* non ſolum, ſed & *nudo pacto* tollitur obligatio, ſed vtrumque tamen medium tollendi obligationem, non eſt eiusdem naturæ. Scilicet, ſi debitum *acceptilatione* tollitur, tunc creditor ne minimum quidem prætextum retinet, quo vti poſſet, ſi debitum, hoc modo remiſſum, nihilominus adhuc petere vellet, acceptilatio enim eſt modus tollendi obligationem, legibus ciuilibus veteribus iam approbatus, vnde & obligationem ipſo iure tollere dicitur, vid. Iul. Pacius *in anal. I. ad rubr. tit. quib. mod. oblig. toll.* ergo exceptio acceptilationis ad exceptiones *facti* referenda erit, id eſt, poſt acceptilationem creditor de mero facto debitorem conuenit. Contrarium in remiſſione debiti per *nudum pactum* facta obtinet. *Debitor*, (ſunt verba §. 3. *I. de Except.*) *ſi pactus fuerit cum creditore, ne a ſe pecunia peteretur, nihilominus obligatus manet, quia pacto conuento obligationes non*

omni-

omnino diſſoluuntur, qua de cauſa efficax eſt aduerſus eum actio, quam actor intendit, ſi apparet eum dare oportere; ſed quia iniquum eſt, contra pactionem eum condemnari, defenditur per exceptionem pacti conuenti. Ergo exceptio pacti ad exceptiones iuris referenda erit, id eſt, creditor poſt illud pactum adhuc aliquid iuris retinet, & ſic de mero facto debitorem non conuenit, v. Pacius *loc. prox. cit.*

Sic ſi quis *in contractu b. fidei* dolo aduerſarii deceptus fuerit, exceptio eo nomine decepto competens, *facti* appellabitur, quia nec leges Romanæ ſubtiles creditori hoc caſu adſiſtunt, ſed contractum inualidum pronuntiant, *v. l. 16. §. 1. ff. de minor.* At ſi dolus *in contractu ſtricti iuris* admiſſus, ſecundum ius ſubtile vetus contractus ſubſiſtit, (v. quæ diximus ad *tit. de dolo malo*) æquitati tamen repugnat, & ſic exceptio *iuris* conceditur, *v. l. 36. ff. de V. O. ibique* Gothofredum *in notis.*

Hæc pro explicanda diſtinctione præſenti adduxiſſe ſufficiat. Ceterum vero quod vſum practicum attinet, omnino nullum hic adeſſe puto, niſus autoritate Pauli, qui, licet admodum ſubtilis alias fuerit, ſuo tamen iam tempore ingenue faſſus eſt in *l. 112. ff. de R. I. nihil intereſſe, ipſo iure quis actionem non habeat, an per exceptionem infirmetur.* Quemadmodum enim exceptio-

nes

nes iuris in iudicio allegandæ, ita quoque exceptiones facti. Et hæ & illæ ab allegante ſunt probandæ, modus etiam opponendi non minus quam tempus, quo in proceſſu opponuntur, *A)* in omnibus conueniunt, &

A) Aliter quidem cum BRVNNEMANNO rationes ſubducit MARTIN. *ad Ord. Proc. Sax. Tit. 21. §. 4. n. 2.* putans, *exceptiones facti, ſeu intentionis*, e. g. ſolutionis, compenſationis, cetera, articulis quoque reprobatoriis inſeri, atque adeo ordinario modo probari poſſe, *quamuis illæ L. C. non mox ſubiectæ fuerint;* verum, ſi dicendum, quod res eſt, ſententia hæc parum vehementer congruere videtur tum *R. I. de anno 1654.* §. Es ſoll auch hinführo 37. qui inter exceptiones *iuris* & *facti* nullum diſcrimen ſtatuit, ſed *generatim* omnes exceptiones peremtorias *ſimul in primo termino*, *ſub pœna præcluſionis*, opponi iubet, tum *Iuri Saxonico*, vi cuius pariter *omnes* exceptiones peremtoriæ, ſub iactura earundem, *Litis Conteſtationi adnecti* debent. ORD. PROC. SAXON. *Tit. XI. §. 10. Tit. XXI. §. 4.* & *contumacia* rei, debito tempore exceptiones non opponentis, non fauore, ſed odio digna. Conſent. DN. de BERGER *Elect. Diſceptat. Forenſ. Tit. 39. Obſeruat. 3. Not. 1.*

& ergo, vt duobus verbis me expediam, nihil remanet, in quo differentia aliqua, diuerſum effectum producens, oſtendi poſſet.

Putat equidem B. Brunnemann. *Proc. Ciu. c.7. n.1.* in eo vſum aliquem latitare, *vt ſcilicet ſciamus, quæ exceptio per ſtatuta videatur excluſa*, ſi nempe ſtatutum aliquod adſit, quod omnes exceptiones remouendas eſſe iubeat, & in *Repetit. Paratit. Weſenbec. h.t. qu.2.* porro addit, eiusmodi ſtatutum de exceptionibus proprie ſic dictis, id eſt, prout ex *quæſt. præc.1.* patet, de exceptionibus *iuris*, intelligi debere: verum enim vero vnde hæc aſſertio ex iure probari poſſit, nondum video. Quoniam enim exceptiones iuris tali actioni opponuntur, quæ mero iure ſubtili nititur, & iniquitatem aliquam inuoluit, *v. tit. I. de except.* non video ſane rationem, ob quam ſtatutum in dubio eiusmodi potius exceptiones iniquitatem tollentes, quam alias, tollere maluerit, vnde melius forſan erit, ſi tale ſtatutum cum eodem Autore de exceptionibus, quæ in continenti probari non poſſunt, accipiamus.

DISTINCTIO II.
Inter Exceptiones *nominatas* & *innominatas*.

N*ominatæ* ſunt, quæ certum nomen habent, e. g. ſolutionis, compenſationis, erroris, excuſſionis, &c. *innominatæ*, quæ eo deſtituuntur, quo caſu ad exceptionem in factum, vel doli generalem, recurritur, inter vtramque tamen in effectu nihil intereſt.

DISTINCTIO III.
Inter Exceptiones *prætorias* & *ciuiles*.

Neque hic apparet vſus aliquis. Quicquid enim de exceptionibus, quæ ex iure ciuili oriuntur, v. g. ſolutionis, SCti Macedoniani, Velleiani, &c. prædicari poteſt, illud eodem modo etiam ad prætorias, v. g. doli, pacti, rei iudicatæ, &c. pertinet.

DISTINCTIO IV.
Inter Exceptiones *dilatorias* & *peremtorias*.

Hic vſus in eo ſeſe exerit: *Exceptiones dilatoriæ ante litem conteſtatam regulari-*

lariter in iudicio opponi debent, peremtoria autem poſt eandem.

Exceptio eſt quoad *dilatorias*, quod poſt litis conteſtationem adhuc opponi queant, ſi poſt eam demum ortæ, aut reus eas antea ignorauerit, quod iuramento eſt aſſerendum, aut iudicium nullum reddant, v. g. exceptio legitimationis, aut *B)* grauamen ſucceſſiuum reſpiciant, v. g. loci non tuti, termini nimis anguſti, &c. quoad *peremtorias* autem, quod hæ illo caſu ante litis conteſtationem opponi poſſint, ſi in continenti ſint liquidæ, de qua regula & exceptionibus fuſe agit non ſolum Lauterbach. *Comp. iur. h. t.* ſed & DD. communiter *ad h. t.* v. in ſpecie B. Stryk. *in introd. ad prax. Cap. 9. §. 2. & 3. & c. 16. §. 1. & 2.*

DIST.

B) Aut ſint *anomalæ*, h. e. merita cauſſæ ſimul concernant, e. g. excuſſionis, diuiſionis, cedendarum actionum, implementi non ſequuti, cetera. ZANGERI *de Except. part. 2. cap. 22. n. 13.*

DISTINCTIO V.

Inter Exceptiones *perſonales* & *reales*.

Perſonales, v. g. competentiæ, fori priuilegiati, ceſſionis bonorum, &c. nec heredibus *C)* excipientis proſunt, nec eius fideiuſſoribus, *D)* ſed ſoli excipienti; *reales* e con-

C) Exceptio eſt in *liberis*, heredibus patris, quibus aduerſus matrem, dotem repetentem, exceptio competentiæ indulgetur. *l. 18. pr. ff. Solut. matrim.* ZANGER. *de Except. part. 2. cap. 15. n. 45.*

D) Cautelam tamen heic fideiuſſori, ad ſolutionem ſolidi condemnando, commendant DD. vt *debitori principali litem denuntiet*, quo hic compareat, & exceptionem competentiæ *ex ſua perſona* obiiciat, docendo, ſua intereſſe, ne fideiuſſor in ſolidum conueniatur ac condemnetur, cui alias *mandati iudicio* ſolidum rurſus ſoluere ſit obſtrictus. Quæ cautela & in *l. 10. §. 12. ff. Mandat. & l. 63. ff. Pro ſoc.* haud obſcure fundata, & hac euidentiſſima ratione nititur, ne fideiuſſori, pro debitore ſoluenti, *detur regreſſus* aduerſus eundem, qui nonnunquam teneretur vltra

e contrario ad hos omnes quoque pertinent, v.g. exceptio ſolutionis, compenſationis, metus, doli, &c. *l. 7. ff. h. t.* Addit adhuc tertiam ſpeciem, exceptionem *mixtam* ſcilicet, Lauterbach. *h. t.* & eo refert exceptionem reſtitutionis ex cauſa ætatis, quæ in eo a realibus recedit, quod ad heredes quidem transmittatur, non tamen fideiuſſoribus competat, niſi læſio dolo aduerſarii *E)* minorenni illata fuerit, *v. l. 13. pr. ff. de minor.* & *l. 1. & 2. C. ſi aduerſ. fideiuſſor.*

Lib.

tra quam facere poſſet, & ſic beneficium competentiæ, aduerſus creditorem competens, reuera ipſi redderetur *inutile*, id quod dubio procul pugnat cum *l. 6. C. de LL.* HERING. *de Fideiuſſor. cap. 27. part. 4. n. 82. ſeq.* MEV. *Leuam. inop. debitor. cap. 4. n. 237. & part. 2. Dec. 289. n. 7. part. 4. Dec. 150. n. 7. ſeq.* Add. BRVNNEM. *ad l. 10. ff. Mandat. n. 14. ſeqq.* quamuis fluctus in ſimpulo heic excitet DVAREN. *ad tit. ff. de Re iudicat. Prælect. 26. ad l. 24. ff. eod.*

E) Conf. not. ſupr. *Lib. 4. Tit. 4. ad diſtinct. 2.*

LIB. XLIV. TIT. VII.

De Obligationibus & Actionibus.

DISTINCTIO I.

Inter Obligationem *naturalem*, *ciuilem* & *mixtam*.

Hæc diſtinctio ex ſequenti fundamento profluit: Ius naturæ & ius ciuile Romanorum interdum ſibi mutuo *adſiſtunt*, interdum vero alterum ab altero *recedit*. *Priori* caſu DD. vocant obligationem mixtam, *A)* ex qua & actio & exceptio cum effectu inſtitui & opponi poteſt, v. g. vt quis ex emto, locato, commodato, &c. obligetur. *Poſteriori* caſu ſubdiſtinguendum eſt. Aut ſcilicet *ius naturæ deſerit ius ciuile Romanum*, aut *deſeritur ab illo; priori* caſu vocatur obligatio *ciuilis*, id eſt, ex mero iure ciuili proueniens, v. g. ex negotio coacto, aut ex promis-

A) In Iure Romano κατ᾽ ἐξοχὴν dicitur *ciuilis. l. 7. §. 2. ff. de Pact.* ab aliis *ciuilis iuſta.* DONELL. *enucl. Lib. 12. cap. 4. lit. A.*

miſſione dolo alterius emanata in contractibus ſtricti iuris, &c. *& haec nec actionem efficacem producit*, *B)* (praetor enim reo ex tali negotio conuento exceptionem ſuppeditat, qua probata, actio inſtituta corruit, *v. ſupra tit. de Except. diſt. I.)* nec *exceptionem*, quia & ad reſtitutionem rei ex tali obligatione acceptae accipiens obſtringitur; *poſteriori* dicitur obligatio *naturalis*, quae hunc effectum habet, *vt exceptionem producat*, v. g. obligatio ex nudo pacto &c. vid. Lauterbach. *h. t.* Poſtquam tamen hodie ex nudo pacto actio conceditur, inter obligationem naturalem & mixtam non amplius erit differentia.

DIST.

B) Quaedam tamen obligationes *ciuiles* ita ſunt comparatae, vt ex iuſtis cauſſis *mixtae* ac *efficaces* reputentur, qualis eſt quae oritur *ex re iudicata, l. 56. ff. de Re iudic.* ex *iureiurando voluntario* ſeu conuentionali, *l. 2. l. 25. §. 5. ff. de Iureiur.* ex *confesſione in iure* facta, *l. 56. ff. de Iudic.* SVTHOLT. *Diſp. 12. th. 24.* FRANZK. *ad pr. I. de Obligat. n. 13. ſeqq.*

DISTINCTIO II.

Inter Obligationem naturalem *plenam C)* & *minus plenam.*

Plena, vt modo dictum, etiam de iure Romano exceptionem, & iuxta mores noſtros, actionem producit; ſed *minus plena*, nec actionem, nec exceptionem: comprehendit enim ſub ſe officia humanitatis & amo-

C) Omiſſa ab AVCTORE admodum neceſſaria ſubdiuiſio obligationis *naturalis plenæ*, in *adprobatam* & *reprobatam*, *illa* eſt, quæ iure ciuili non quidem actionem producit, ſed tamen *aliis effectibus* gaudet. Sic ex illa datur exceptio, *l.* 7. §. 4. *ff. de pact.* poteſt ei adcedere fideiuſſor, *l.* 7. *ff. de fideiuſſor.* pignus, *l.* 5. *ff. de pignor.* poteſt conſtitui, *l.* 1. §. 7. *ff. de Conſtit. pec.* nouari, *l.* 1. §. 1. *ff. de Nouat. & deleg.* cetera; *hæc*, quæ plane *nullum effectum* habet, quo pertinet obligatio *mulieris fideiubentis*, *l.* 40. *ff. de Condict. indeb.* obligatio *pupilli* ſine tutoris auctoritate, *l.* 41. *ff. eod.* quantum *ad ipſum pupillum attinet*, fideiuſſor enim huiusmodi obligationi *efficaciter* adcedit. *L.* 25. *ff. de Fideiuſſor.* Add. FRANZK. *Exerc.* 9. *Q.* 1.

amoris, v. g. ad benefaciendum pauperibus, ad remunerationem, &c. ſed hæc officia omnem omnino coactionem reſpuunt, quia amor liberrimus eſſe debet. Et hinc eſt, quod recte aſſerunt DD. donatarium, qui doni oblitus, ſe mutuum accepiſſe, vel ex alia neceſſaria cauſa obligatum eſſe credebat, & tantundem reddebat donanti, quantum ab eo antea acceperat donationis titulo, non obſtante obligatione ad antidora, ſolutum repetere poſſe, v. ex multis vnus Bachouius *de action. Diſp. 4. th. 16. verſ. & hinc decidenda.*

Effertur hæc diſtinctio alias etiam per vocem *perfectæ* & *imperfectæ* obligationis, quibus reſpondet *ius perfectum* & *imperfectum.* Impugnant quidem nonnulli eandem, & obligationem imperfectam pariter & ius imperfectum nomen obligationis & iuris plane non mereri adſtruunt; ſed hi ſolum ad *obligationem extrinſecam & ius extrinſecum* reſpiciunt, quin vero in foro intrinſeco talis obligatio ſuos effectus habeat, de eo forſan nemo iure dubitare poterit.

DISTINCTIO III.

Inter Obligationem *ciuilem & prætoriam.*

Hæc nullius eſt vſus, niſi quod obligatio ad ſoluendam pœnam priuatam, ſi

ex iure prætorio deſcendit, intra annum præſcribatur, v. quæ diximus ad *tit. de orig. iuris diſt. I.* & quod de *iure ciuili* ſtricto *ille ſolus obligetur*, *qui contraxit*, *aut deliquit*, obligatio prætoria autem & *ex alieno contractu*, *vel delicto*, *oriatur*, ſi is contraxit, vel deliquit, qui vel meam perſonam repræſentat, vt inſtitor, magiſter nauis, &c. vel ex quo ego commodum ſentio, v. g. ſeruus meus, &c. vnde actio noxalis &c. *v.* §. *1.* & *2. I. quod cum eo qui in alien. pot. eſt. l. 1. ff. de inſtit. act.* §. *4. I. de noxal. action.* vbi tamen dicitur, quod actio noxalis propter furtum, *D)* ex LL. XII. Tabb. & damni iniuriæ ex Lege Aquilia oriatur. Quicquid ſit de origine obligationum, ratione effectus inter vtramque, ciuilem ſcilicet atque prætoriam, parum vel nihil potius intereſſe videtur.

DISTINCTIO IV.
Inter Obligationes *immediatas* & *mediatas*.

Hæ in eo ſolum differunt, quod in *immediatis* non opus ſit, vt is, qui in illis ſe fun-

D) Hoc intelligendum de actione *furti non manifeſti*, actio enim furti *manifeſti* ex *Prætoris Ictione* descendit. *pr. I. de Perpet.* & *temporal. act.*

fundat, præcedens factum (conuentionem vel delictum) probet, quia ius ipſius immediate ex legis diſpoſitione, absque vllo intercedente facto ciuili, deriuatur, *v. l. 1. pr. ff. h. t.* vbi ita Caius: *Obligationes*, ait, *aut ex contractu naſcuntur, aut ex maleficio, aut proprio quodam iure, ex variis cauſarum figuris.* Huc pertinet obligatio reciproca parentum & liberorum, de alimentis ſibi inuicem præſtandis; *v. tit. ff. de agnoſc. & alend. lib.* item obligatio patris ad dotem filiæ præſtandam, de quibus, & multis aliis caſibus, ex fundamento egit B. Stryk. *in tr. de inueſt. action. ſect. 1. membr. 2.* In obligationibus *mediatis* e contrario nunquam cum effectu aduerſus alterum agere conceditur, niſi actor fundamentum intentionis ſuæ, præcedentem ſcilicet contractum, vel commiſſum à reo delictum, liquido probare poſſit.

DISTINCTIO V.

Inter Actiones *ciuiles & prætorias.*

Hic eadem repetenda, quæ paulo ante ad *diſt. III.* de obligatione ciuili & prætoria diximus. Qualis enim eſt natura obligationis, talis quoque actionis exinde profluentis natura eſt.

DISTINCTIO VI.

Inter Actiones *directas*, *vtiles*, & *in factum*.

Directas vocant, quæ ex verbis legum: *vtiles*, quæ ex *ratione* legis per interpretationem: *in factum*, quæ deficientibus verbis & ſententia, ſiue ratione legis, *ex æquitate*, in ſubſidium dantur. Optime hæc diſtinctio illuſtratur ex §. *fin. I. De L. Aquil.* vbi actio legis Aquiliæ *directa* vocatur, quando quis *corpore & in corpus: vtilis*, quando *in corpus* quidem, ſed *non corpore:* & denique *in factum*, quando *nec corpore*, *nec in corpus*, ſed *alio modo*, damnum datum eſt, qui caſus ſinguli claris exemplis in *d.* §. *fin.* illuſtrantur, vbi videri poſſunt.

Quod ſi tamen de vſu quæris, ego quoad actiones directas & vtiles, verbis Pauli in *l. 47. ff. de neg. geſt.* vtor, cuius ſententia hæc eſt: *Actio negotiorum geſtorum illi datur, cuius intereſt, hoc iudicio experiri. Nec refert, directa quis, an vtili actione agat, vel conueniatur, quia in extraordinariis iudiciis, vbi conceptio formularum non obſeruatur, hæc ſubtilitas ſuperuacua eſt: maxime cum vtraque actio eiusdem poteſtatis eſt; eundemque habet effectum.* Deinde, quod actionem in factum in ſpecie attinet, iam

iam ante nos oſtendit illuſtr. Dn. Thomaſius *in Diſſ. Lipſ. de Philoſoph. iuris* §. *148.* & *149.* eam in pandectis actioni vtili non contradiſtingui, & Tribonianum ex mero errore, duas ſeparatas actiones in *d.* §. *fin.* ſtatuiſſe. Et quamuis etiam in Pandectis actio vtilis & actio in factum expreſſe ſibi contradiſtinguerentur, iterum tamen ea applicanda eſſent, quæ modo ex *l. 47. ff. de neg. geſt.* adduximus. Ex quo inferimus, diſtinctionem præſentem nullius eſſe vtilitatis.

DISTINCTIO VII.

Inter Actiones *perſonales*, *reales* & *mixtas*.

Quoad actiones *perſonales* & *reales* ea repetenda, quæ ſupra ad *tit. de rer. diuiſ. diſt. I.* diximus. De *mixtis* hic notandum, quod partim ex iure in re, partim ex iure ad rem, proueniant, ex quibus præcipuæ ſunt actio familiæ herciſcundæ, finium regundorum; & communi diuidundo, §. *20. I. de action.* ex quibus actio finium regundorum, quatenus rem perſequitur, contra quemcunque quidem poſſeſſorem datur, non autem actio familiæ herciſcundæ, & communi diuidundo, quia hæ duæ actiones certam qualitatem alterius, qui conuenitur, ſup-

ſupponunt, quod ſcilicet vel coheres vel collegatarius exiſtat, quæ qualitas in tertio poſſeſſore non deprehenditur. Deinde actiones mixtæ in eo etiam a plerisque realibus recedunt, quod triginta demum annis præſcribantur, *v. l. f. C. fin. regund. l. 1. §. 1. C. de annal. except.*

DISTINCTIO VIII.
Inter Actiones *natiuas & datiuas.*

Natiuæ ſunt, quæ ex præcedente contractu, vel delicto, naſcuntur; *datiuæ*, quæ tale factum non ſupponunt. Ergo priores ex obligatione mediata, poſteriores ex immediata deducuntur, *v. diſt. IV. h. t.* In effectu autem nihil intereſt. Imo Hilliger *ad Donell. l. 19. c. 2. lit. A.* hanc diſtinctionem ne theoretice quidem veram eſſe, ſed de actionibus ex contractu etiam vocabulum *datiuarum* prædicari, adſtruere nititur, *E)* quem vide.

DIST.

E) Rectiſſime DVARENVS *ad L. 7. §. 2. ff. de Pact. p. m. 71. a.* diſtinctionem hanc ex ignorantia proceſſus antiqui, a DD. effictam eſſe adſerit, quum nulla actio ſit, quæ non *dari* a Prætore recte dicatur, licet *iure ciuili* prodita ſit, vel ex *iure Gentium* obligatio deſcendat. vid.

DISTINCTIO IX.
Inter Actiones *directas & contrarias.*

Hic notandum, quod actio *directa* illa vocetur, *F)* quæ *ſtatim ab initio* celebrati contractus, & *ſemper* adeſt, & in *definitione contractus exprimitur.* Sic quando *deponens* aduerſus depoſitarium agit, actionem

vid. *l. 1. ff. Commodat. l. 1. ff. Depoſ. l. 1. ff. de Vi & Vi arm.* Interim facile largior, verba hæc: *actionem dare*, anguſtius nonnunquam capi, vt ſignificent, actionem *nouam*, quæ *iure ciuili prodita haud eſt*, a *Prætore* ex *ſua Ictione* introduci, quorſum ſpectant verba *§. 1. I. de Perpet. & temporal. act.* ibi: *aut ipſo iure* (ciuili) *competunt, aut a Prætore dantur.*

F) Clarius forſan ita dixeris: Actio *directa* eſt, quæ perſequitur *obligationem principalem* ex contractu venientem: actio *contraria*, quæ perſequitur *obligationem ſecundariam* ex contractu venientem. *Principalis* autem obligatio eſt, quæ ſpectat *ad eſſentiam* contractus, nec *vnquam abeſſe* poteſt: *ſecundaria*, quæ poteſt *adeſſe & abeſſe*, ſalua contractus eſſentia. Vid. Ill. THOMAS. *ad Huber. Prælect. ad I. Tit. de action. §. 38.*

nem directam habet, quia depoſitarius a momento initi contractus, ad reſtitutionem rei depoſitæ in ſpecie obligatur, & nullus contractus depoſiti concipi poteſt, in quo hæc obligatio non adſit, & denique hoc ipſum in dicti contractus definitione exprimitur. Idem intuitu *commodantis*, *mandantis*, &c. ſic & actio *emti & venditi*, *locati & conducti*, *pro ſocio*, &c. vtrinque eſt directa, quia adducta requiſita in vtroque contrahentium deprehenduntur.

Contrariam autem dicunt, quæ *ex poſt facto* ſaltem oritur, & *non ſemper adeſt*, *nec etiam in definitione contractus exprimitur*, quia in definitionibus illud ſaltem exprimendum, quod regulariter fieri ſolet, non autem, quod ex accidenti. Sic quando *depoſitarius* aduerſus deponentem agit, ad impenſas, quas propter rem depoſitam fecit, iterum conſequendas, actio contraria ipſi competit, quia deponens ex poſtfacto, id eſt, ex eo demum tempore obligatur, quo depoſitarius eas impenſas fecit, non etiam hoc ex natura depoſiti profluit, vt quilibet depoſitarius neceſſario in rem depoſitam aliquid impendat, ſed hoc ſaltem interdum contingit, & hinc in definitione contractus depoſiti de hac obligatione ſecundaria & minus principali nihil habetur. Idem intuitu *commodatarii*, *mandatarii*, &c. iuris eſt.

Ratione *præſcriptionis*, *& tranſmiſſionis ad heredes*, inter actiones directas & contrarias nulla differentia deprehenditur, ſed omnes eodem tempore durant, & eodem modo heredibus & contra heredes dantur.

Adeſt tamen nihilominus vſus aliquis. Scilicet quando in notis illis contractibus, *tutelæ*, *mandati*, & *depoſiti*, actio *directa* contra tutorem, mandatarium, & depoſitarium, propter dolum commiſſum inſtituitur, tunc *reus conuentus infamia* G) afficitur, *v. l. 4. ff. de ſuſpect. tut. l. 1. ff. de his qui not. infam.* quod ſecus eſt, ſi tutor pupillum, mandatarius mandantem, aut depoſitarius deponentem, actione contraria conuenit, *d. l. 1.* Excipiunt quidem communiter contractum mandati, quod ſcilicet actio contraria, ex eodem inſtituta, etiam infamiam importet, ſi mandans indemnitatem mandatario præſtare doloſe deneget; verum *l. 6. §. 2. ff. de his qui not. infam.* ad quam prouocant, de caſu ſpeciali ſaltem loquitur, *ſi ſcilicet fideiuſſi pro te, & ſolui, & tu illud quod ſolutum eſt, reſtituere detrectas*; & ſic extra hunc caſum, in quo de ſingulari perfidia agitur,

G) Modo *ſuo nomine* condemnatus, *l. 1. l. 4. §. 5. ff. de His qui not. infam.* ac doli in ſententia *expreſſa facta mentio. l. 4. §. 2. ff. de ſuſpect. tutor.*

tur, regula manet, quæ in §. 7. *d. l. 6.* continetur: *contrario iudicio damnatus non erit infamis, nec immerito. Nam in contrariis non de perfidia agitur, ſed de calculo, qui fere iudicio ſolet dirimi.*

Ex eodem fundamento profluit, quod in actione *directa* quidem *in litem iurari poſſit*, ſuppoſitis terminis habilibus, ſi ſcilicet talis res petitur, quæ affectionem recipit; nunquam vero in actione *contraria*, *Ei*, inquit Vlpianus in *l. 5. ff. depoſ. apud quem depoſitum eſſe dicetur, contrarium iudicium depoſiti datur, in quo iudicio merito in litem non iuratur. Non enim de fide rupta agitur, ſed de indemnitate eius, qui depoſitum ſuſcepit.*

DISTINCTIO X.

Inter Actiones *ſimplices & duplices.*

Conf. ſupra *Diſt. III.* ſub titulo *de Iudiciis.*

DISTINCTIO XI.

Inter Actiones *vniuerſales, generales & ſingulares.*

De hac diſtinctione itidem iam dictum fuit ſub titulo *de Iudiciis Diſt. VI.*

DIST.

DISTINCTIO XII.

Inter Actiones *petitorias & poſſeſſorias.*

Vide *Diſt. V.* ſub tit. de *iudiciis*, & adde *tit. de interdictis Diſt. I. & III.*

DISTINCTIO XIII.

Inter Actiones *rei perſecutorias & pœnales. H)*

Priores ad *ſimplum* ſaltem dantur, id eſt, ad nudam damni, ab altero nobis illati, reparationem: ſed *poſteriores* vlterius du-

H) Adde: *& mixtas*, quæ partim *rem*, partim *pœnam LL. conſtitutam*, perſequuntur, §. *16. 19. I. de Action.* e. g. Actio vi bonorum raptorum, *d.* §. *19. I. de Action.* Actio depoſiti miſerabilis aduerſus inficiantem, §. *17. I. eod.* actio L. Aquiliæ contra inficiantem, §. *26. I. eod.* actio ex teſtamento ob legatum piis cauſis relictum aduerſus inficiantem, *d.* §. *26. I. eod.* cetera.

duplum, triplum & quadruplum nobis adiudicant. *I)*

Priores vltra annum dantur, & ſi ex contractu, vel delicto proueniunt, *perpetuæ* ſunt; *Poſteriores* autem plerumque *anno* excluduntur, *l. 35. pr. ff. de O. & A.* Exceptio habetur in actione *furti manifeſti* ad quadruplum, *pr. I. de perpet. & temp. act.* in actione *de ſeruo corrupto* ad duplum, *l. 13. pr. ff. de ſeru. corrupt.* & in actione *aduerſus nautas, caupones* & *ſtabularios* ad duplum, *K) l. 7. §. 1. ff. naut. caup. ſtabul.*

In eo tamen conueniunt, quod nec *rei perſecutoriæ* (ſi ſunt ex delicto,) nec *pœnales*,

I) Imo dantur actiones pœnales ad duplum, triplum, quadruplum, haud tendentes, e. g. actio iniuriarum æſtimatoria, §. 7. *I. de Iniur. l. 7. §. 7. ff. eod.* actio de albo corrupto, §. *12. I. de Action.* de parente vel patrono ſine venia in ius vocato, *d. §. 12. l. fin. ff. de In ius voc.* actio de poſito vel ſuſpenſo, §. *1. I. de Obligat. quæ quaſ. ex delict.* Vnde commodius ita dixeris: Actiones *pœnales* ſunt, *quibus non perſequimur id, quod nobis ex patrimonio abeſt*, *ſed pœnam Legibus conſtitutam.* Add. BACHOV. *de Action. Diſp. 5. th. 2. & 13.*

K) Adde actionem *depoſiti miſerabilis* ad duplum. *l. 18. ff. depoſ.*

nales, aduerſus heredes delinquentis dentur, niſi lis cum defuncto conteſtata fuerit, *v. l. 26. ff. de O. & A. L)* *Sed quid ſi ad heredes aliquid peruenerit?* Tunc quidem contra eos actio rei perſecutoria inſtitui poterit, non autem pœnalis, *d. l. 35. pr. ff. de O. & A.*

Loquimur autem hic ſemper *de pœna ex lege prouenjente.* Ea enim, quæ *ex conuentione* eſt, ad inſtar intereſſe noſtri ſeſe habet, & ſic actio ad eam exigendam non ſolum perpetua eſt, ſed & aduerſus heredes cum effectu inſtitui poteſt, *v. §. f. I. de V. O.*

DISTINCTIO XIV.

Inter Actiones *bonæ fidei & ſtricti iuris.*

Diſtinctio hæc ex diſtincto officio *prætoris* & *iudicis pedanei* apud Romanos vnice profluit. Notum quippe eſt, iudicem pedaneum non gauiſum eſſe autoritate publica cognoſcendi de cauſis controuerſis in foro obuenientibus, ſed fuiſſe eundem priuatum aliquem ICtum, cui prætor, poſt-

L) Excipe *condictionem furtiuam.* vid. *ſupr. Lib. 13. Tit. 1. Diſtinct. 2.*

poſtquam partes eum elegerant, certam agendi & excipiendi formulam præſcribebat. *M)*

Primo autem ſciendum eſt, *quænam actiones bonæ fidei fuerint?* Varia exempla in §. *28. I. de act.* referuntur, v. g. ex emto, vendito, locato, conducto, negotiorum geſtorum, mandari, &c. ex quibus omnibus apparet, Imperatorem, vel ſi mauis, Tribonianum, tales actiones retuliſſe, *quæ ex*

M) Clarius ita dixeris: *Cui Prætor, poſtquam partes eum elegerant, formulam, tum ad intentionem actoris, tum ad exceptionem rei, adcommodatam, præſcribebat.* Non enim intentionis actoris tantum, ſed & exceptionis a reo oppoſitæ rationem habere, illamque formulæ inſerere debebat Prætor, e. g. *Si paret, Titium Meuio centum mutuo dediſſe, niſi quid pactum ſit, ne Titius a Meuio peteret, Iudex condemna.* Ex quo ſimul perſpicuum fit, quid ſibi velit PAVLLVS in *L. 22. ff. de Except.* quum *exceptionem* vocat *conditionem, quæ modo eximit reum damnatione, modo minuit damnationem,* quoniam Prætor exceptionem rei per modum conditionis: *Si non, niſi, extra quam,* cetera, formulæ inſerebat, de quo vid. BRISSON. *de Formul. ac Solemn. Pop. Rom. Verb. Lib. 5. p. 402. ſeqq.*

ex contractibus bilateralibus proficiſcuntur, excepto eo, quod & *hereditatis petitionem N)* & actionem *de dote repetenda O)* huic

N) Quoniam hæc diſtinctio ſaltem pertinet ad *actiones in perſonam ex contractibus* deſcendentes, non ad actiones *ex iure in re pullulantes.* BACHOV. *de Action. Diſp. 6. th. 1.* quibus etiam hereditatis petitio adcenſenda. Nec obſtat, quod heic adſint *præſtationes perſonales*, Reſp. in Rei Vindicatione quoque adſunt præſtationes perſonales, nec tamen illa b. f. Rectius E. ad actiones *arbitrarias* hereditatis petitio refertur, monente AVCTORE *Doctr. Pandect. h. t.* § 7.

O) Intelligit AVCTOR *actionem ex ſtipulatu de dote repetenda*, quod perperam Imp. in § 29. *I. de Action.* in claſſem b. f. actionum eandem compingat, quum conclamatum ſit, actiones ex ſtipulatione deſcendentes, eſſe *ſtricti iuris.* Enimuero admodum placent, quæ ſubtiliter hac de re philoſophatur IO. GOEDDÆ. *de Contrah. & Committ. ſtipulat. cap. 8. Concl. 1. n. 28.* quod Iuſtinianus Imp. naturam ac indolem actionis ex ſtipulatu non prorſus *immutauerit*, ita, vt, quæ antea ſtricti iuris actio fuit, deſierit talis eſſe, ſed *rei vxoriæ actionem* in eandem ſaltem *transfuderit.*

huic claſſi adiunxerit, contra rationem & analogiam iuris.

Ergo ex natura oppoſitorum ſequetur, omnes actiones *ſtricti iuris* dici debere, *quæ ex contractibus vnilateralibus profluunt*, v. g. ex mutuo, ſtipulatu, hereditatis aditione, condictionem indebiti, ob turpem cauſam, &c. quia talium in *d.* §. *28. I. de act.* non fit mentio.

Scio quidem, multos DD. ſtrictiſſime verbis *d.* §. *28.* inhærere, & adeo nullas actiones b. f. ſtatuere, niſi quæ in eo recenſentur; ſed puto hos, vt alia taceam, contra *l. 17. ff. de LL.* impingere, vbi Celſus dicit,

rit. Hæc vero quum indubie *bonæ fidei* eſſet, *l. 21. ff. ſolut. matrimon.* (add. CICERO *lib. 3. Officior.* vbi diſerte refert formulæ eiusdem hæc verba: *Quantum æquius melius*, fuiſſe inſerta) actio ex ſtipulatu de dote repetenda qualitatem illam, quam non habebat ex *ſeſe*, a rei vxoriæ actione eſt *mutuata*. Non ergo *qualitas b. f.* actioni ex ſtipulatu ineſt, *vt actioni ex ſtipulatu*, ſed eatenus, *quatenus Rei vxoriæ actio in illam transfuſa*, ac cum ea arctiſſime copulata. Extorſit autem hanc translationem alterius actionis in alterum *fauor dotis*, cuius cauſſa publica eſt, ob quam ſæpenumero a regulis iuris deflectimus.

cit, ſcire leges non hoc eſſe, verba earum tenere, ſed vim & poteſtatem.

Quænam vero *differentia inter b. f. & ſtricti iuris* actiones fuerit, ita generaliter effertur in §. *30. l. de act. quod ſcilicet in b. f. iudiciis libera poteſtas permittatur iudici, ex bono & æquo æſtimandi, quantum actori reſtitui debeat*, vnde ex oppoſito ſequitur, *quod in ſtricti iuris iudiciis eiusmodi liberam poteſtatem non habuerit iudex*, ſed in his ad verba præcedentis conuentionis arctiſſime adſtrictus fuerit.

Deſcendamus ad nonnulla ſpecialia. In contractibus *bonæ fidei dolus, dans cauſam contractui, eundem ipſo iure nullum reddit, l. 7. pr. ff. de dol. mal.* & ſic iudex in actione, ex illo contractu inſtituta, contractum nullum pronunciare poterat, (dolo ſcilicet probato) quamuis nec in verbis conuentionis, nec in formula, a prætore præſcripta, quicquam de ea re haberetur; *ſecus, ſi dolus contractui ſtricti iuris cauſam dederat*, & exinde agebatur, de quo fuſe diximus ſupra ad tit. *de dolo malo diſt. I.*

In actionibus bonæ fidei iuramento in litem affectionis locus datur, vt putant vulgo, *non autem in iudiciis ſtricte iuris;* ſed hoc ex iure Romano vix probari poſſe, oſtendimus ſupra ad *tit. de in lit. iur. diſt. I.*

In actionibus b. f. iudex propter moram praecedentem, vſuras adiudicat, quamuis in verbis conuentionis nullæ expreſſæ fuerint, *l. 32. §. 2. ff. de vſur.* ibique Gothofr. *non autem in iudiciis ſtricti iuris*, quippe in quibus vſuræ non debentur, niſi per ſtipulationem promiſſæ, *v. l. 3. C. eod.* Hæc differentia ſublata eſt per *Receſſ. Imp. de A. 1600. §.* So viel nun.

Plurima huc pertinentia inuenies apud Bachouium *de Action. diſp. 6. theſ. 13. vsque ad theſ. 25.* quæ omnia huc transferre, partim nimis prolixum eſſet, partim etiam otioſum, cum æque commode eadem in Bachouio legi poſſint. Illud vnicum ſaltem notamus, ex *theſ. 21.* (quod eleganter etiam executus eſt Iulius Pacius *in anal. I. ad §. 28. I. de action.*) ſcilicet, *iudicem pedaneum in iudiciis b. f. quamcunque exceptionem admittere potuiſſe, quamuis eiusdem in formula a prætore præſcripta nulla facta fuerit mentio*, exceptiones enim hiſce iudiciis ipſo iure inerant; at vero *in ſtricti iuris iudiciis iudicem nullam exceptionem admittere debuiſſe, niſi cuius prætor in formula, eidem iudici pedaneo data, mentionem iniecisſet*, &c.

Sed quid de vſu huius diſtinctionis dicendum? Quod *vſuras, propter moram ſoluendas*, attinet, DD. libenter concedunt, quia debent, ob allegatum receſſum imperii,

rii, eandem vſum amplius non præſtare. Sed in reliquis capitulis non exiguam vtilitatem adhuc hodie exinde profluere, non pauci propugnant. Tædet eos allegare, qui mero autoritatis præiudicio faſcinati, alios exſcribendo, diſtinctionis vſum hodiernum adſtruunt, nec tamen in quonam ille, ceſſante iudicis pedanei reſtricto officio, ſeſe exſerat, oſtendere valent; prodeat ergo, cuius modo mentionem feci, Pacius, ICtus laudibus noſtris maior, qui *cit. loc.* ſequentem in modum hac de re diſſerit: *Sed hodie,* inquit, *cum nec formulæ ſint in vſu, nec iudices a Magiſtratibus dentur, ſed coram iudicibus ordinariis litigetur, differentia horum iudiciorum aliter ſpectatur.* Sed quomodo? *ita*, pergit, *obſeruatur, vt ſi iudicium ſit bonæ fidei, exceptio ipſo iure inſit in hoc iudicio, id eſt, iudex exceptionis rationem habeat*, quamuis reus hoc non petat, dummodo ex actis de exceptione conſtet: *quia vulgata regula eſt, iudicandum eſſe ſecundum allegata & probata; ſi vero ſit iudicium ſtricti iuris, exceptio reo nihil prodeſt, quamuis de ea ex actis conſtet*, niſi reus nominatim exceptionem opponat actori, & per eam ſe abſolui petat. Refutaſſem fere Pacium, quod nempe hæc non cohæreant cum præcedentibus, vbi dixerat, hodie non amplius eſſe eiusmodi iudices, a magiſtratibus datos, vt olim; ſed acquieſcere poſſum,

P 5 quia

quia mox addit: *Plane quia hodie actionum nominibus non vtimur, harum actionum differentiæ minus conſpicuæ ſunt & obſoletæ; ita vt omnes vi & effectu videantur eſſe bonæ fidei.* Recte, & ſic diſtinctio nullius eſt vſus, quia mutato ſtatu ius mutatur, v. quæ diximus ad *tit. de dolo malo, Diſt. I.* & *ad tit. de in litem iurando, Diſt. I.* Quid ergo timeamus veterem illam cantilenam: quod mutatum non eſt, cur illud ſtare prohibeatur? hæc diſtinctio enim non fuit recepta, quia iudices pedaneos nunquam habuimus.

DISTINCTIO XV.

Inter Actiones *arbitrarias* & *non arbitrarias*.

Non *arbitrariæ* ſunt, quæ ſemper ex contractibus proueniunt, & de quibus hactenus diximus. *Arbitrariæ* autem vocantur, quæ vel *reales* ſunt, vt rei vindicatio, actio hypothecaria, &c. vel *in rem ſcriptæ*, *P)* v. g. actio quod metus cauſa, noxalis,

P) Dantur etiam actiones arbitrariæ *mere perſonales*, e. g. actio doli, condictio de eo quod certo loco, actio rerum amotarum *§. 31. I. de Action. L. 8. §. 1. ff. Rer. amotar.*

xalis, &c. vel *præparatoria*, v.g. actio ad exhibendum, &c. Vocabantur autem *arbitrariæ*, quia iudicis pedanei poteſtas hic quoque, non minus vt in actionibus bonæ fidei, libera & illimitata erat, id eſt, ſententiam definitiuam præcedebat interlocutio iudicis, *Q.*) qua iudex iubebat actori ſatisfieri, v.g. rem exhiberi, aut reſtitui; quod ſi ergo reus iudici obtemperabat, atque actori ſatisfaciebat, per ſententiam definitiuam abſoluebatur, ſin minus, condemnabatur, v.g. in actione quod metus cauſa, in quadruplum, in rei vindicatione, in quantum actor in litem iurauerit, &c. quæ fuſius perſequitur Pacius *in anal. I. ad §.31. I. de act.*

Quod ſi deſideras, quomodo actiones *b.f.* & *arbitrariæ* ab inuicem diſcedant, ita te-

Q.) *Duo* ſunt actionum arbitrariarum genera, in quibusdam iudex ex arbitrio ſuo reo iniungit, *vt petitioni actoris ſatisfaciat*, ſi vero non paruerit, ſequitur condemnatio *in aliquid grauius;* in quibusdam vero *nullum tale arbitrium præcedit*, ſed inſtar aliarum actionum, tota res *vna ſententia* explicatur, qua iudex æſtimat, quantum actori præſtandum ſit. Huc ſpectat *condictio de eo quod certo loco.* Vid. BACHOV. *de Action. Diſp.7. part. 1. th. 3. & part. 2. th. 1.*

tenendum eſt: in actionibus *bonæ fidei* iudex pedaneus liberam habebat poteſtatem ex bono & æquo decernendi, *quamuis hac de re in formula prætoris nulla omnino litera inueniretur*; at vero in actionibus *arbitrariis* iudex pedaneus arbitrium ſuum ita exercebat, *prout illud in formula a prætore data comprehenſum erat*. Vnde in rei vindicatione formula ita fuit: *Si apparet R) rem eſſe Titii, neque ea res arbitrio tuo reſtituatur, iudex condemna*, ſcilicet, quanti in litem iuratum fuerit; in actione quod metus cauſa formula ita ſeſe habuit: *ſi apparet, rem metu eſſe extortam, nec ea arbitrio tuo reſtituatur, iudex in quadruplum condemna*, v. Bachouium *de action. Diſp.* 7. *theſ.* 2. *p. m.* 49. in qua integra diſputatione hæc materia prolixe pertractatur.

Hæc prout a Pacio, Bachouio, aliisque eruditis viris, traduntur, & admodum probabilia ſunt, perſpicue oſtendunt, quod diſtinctio inter actiones arbitrarias & non arbitrarias, exinde deſcenderit, quia Romani iudices pedaneos habebant, & hiſce iudici-

R) Rectius: *Si paret;* hoc enim verbo, loco τȣ *adparet*, in formulis iudiciorum dandorum, Prætores vſos fuiſſe, egregie, vt ſolet, demonſtrat BRISSON. *de Formul. & ſolemn. Pop. Rom. Verb. Lib.* 5. *p.* 370. *ſeq.*

dicibus pedaneis praetores certas formulas pronunciandi praeſcribebant. Iam vero, quia hodie non habemus iudices pedaneos, nec praetores, nec formulas, iudicibus pedaneis a praetoribus praeſcriptas, hinc rogo te ipſum, vt mihi reſpondeas, an diſtinctio adlata adhuc hodie vſum, in ſenſu iuris Romani, habere poſſit? Mihi negatiua placet. Iudicibus noſtris in quibuscunque actionibus arbitrium competit, vt ex bono & aequo reum condemnare, & contumaciam ipſius punire poſſint, & ergo hodie omnes actiones arbitrarias vocare poſſes, ſed non in ſenſu iuris Romani.

Lib. XLV. Tit. I.

De Verborum Obligationibus.

DISTINCTIO I.

Inter Stipulationes *praetorias*, *iudiciales & communes.*

Cum haec diſtinctio iterum ex diſtincto officio praetoris & iudicis pedanei profluat, ea nomina autem nobis

nobis prorſus incognita ſint, hic iterum adſtruere non dubito, diſtinctionem adlatam apud nos ne minimam quidem vtilitatem habere.

DISTINCTIO II.

Inter Stipulationem *dandi & faciendi.*

Hæc in eo vſum habet, quod quoties quis *ad dandum* obligatus eſt, ille rem promiſſam præciſe præſtare teneatur, nec præſtando intereſſe, ſeſe liberare poſſit, *v. l.* 75. *§. fin. ff. de V. O.* quoties vero quis *factum* aliquod promiſit, toties ad illud præſtandum cogi præciſe non poteſt, ſed liberatur promittens, modo intereſſe præſtare, id eſt, damnum reſarcire velit, quod ex non adimpleto contractu alter patitur, *v. l.* 13. *§. fin. ff. de re iudic.* Ratio differentiæ eſt, quia ſi quis rem promiſſam dare recuſat, ea facile inuito promittente, per viam executionis auferri poteſt, quod in facto promiſſo non æque procedit.

De Fideiuſſoribus & Mandatoribus.

DISTINCTIO I.

Inter *Fideiuſſorem & Mandatorem.*

Hi duo theoretice ſaltem differunt. *Mandator* vocatur, qui vel fideiuſſorem fideiubere, vel creditorem alii credere rogat, *& hic ſtatim ab initio intercedit, antequam creditor cum debitore collocutus fuerit.* At vero *fideiuſſor tunc demum interuenit, vbi debitor cum creditore iam collocutus eſt, & contractum principalem iniit, A)* vid. Dion. Gothofred. *in not. ad rubr. h. t.* In effectu vero & fideiuſſor & mandator in ſubſidium demum conueniuntur: plures item mandatores non minus,

A) Fideiuſſor non tantum *ſequi*, verum & *præcedere* obligationem poteſt, §. *3. I. h. t. l. 6. §. 2. ff. eod.* ita tamen, vt præcedens fideiuſſoris obligatio *tum demum* vires capiat, quum *principalis obligatio conſtituta;* eſt enim fideiuſſor *adceſſorie* obligatus.

minus, vt plures fideiuſſores, beneficio diuiſionis, & cedendarum actionum, fruuntur, in quo forſan neminem ex DD. diſſentientem habebo.

DISTINCTIO II.

Inter Fideiuſſorem *neceſſarium* & *voluntarium*.

Neceſſarius hic non vocatur *intuitu perſonæ fideiuſſoris*, quod quis neceſſario fideiuſſor eſſe debeat, ſed *intuitu perſonæ debitoris*, quod hic interdum fideiuſſorem, *ex diſpoſitione legis*, conſtituere teneatur, v. g. vſufructuarius, *l. 13. pr. ff. de Vſufr.* *Voluntarius* e contrario *ex mera conuentione libera* conſtituitur.

Vſus hic eſt. Fideiuſſor *neceſſarius* ex poſtfacto etiam conſtituendus eſt, licet ſtatim ab initio, vbi res vſufructuaria tradebatur, conſtitutus non fuerit, alias enim ipſa res vſufructuaria repeti poteſt, ſi fideiuſſor non conſtituatur, *v. l. 7. pr. ff. Vſufruct. quemadm. cau.* At fideiuſſor *voluntarius* exigi non poteſt amplius, ſi creditor ab initio ſibi hac parte non proſpexit, hic enim obligatio debitoris ad fideiuſſorem conſtituendum ex legis diſpoſitione immediata non oritur.

DIST.

DISTINCTIO III.

Inter Fideiuſſorem *principalem* & *ſuccedaneum*.

Ille in gratiam *creditoris* intercedit, *hic* vero in gratiam *fideiuſſoris principalis* ſeſe obligat, vt ſcilicet plane ſecurus reddatur dictus fideiuſſor principalis de recuperatione illius, quod pro debitore forſan ſoluere neceſſe habuerit, vocatur Germanice ein Rückbürge, *v. l. 8. §. f. ff. h. t.* Ex quo patet, fideiuſſorem *ſuccedaneum* a creditore nunquam conueniri poſſe, ſed ſolum a primo fideiuſſore, qui illud, quod pro debitore ſoluit, iterum repetit. Ceterum, ſi *plures* ſunt eiusmodi fideiuſſores ſuccedanei, eadem quoque ipſis beneficia competunt, quæ alias principalibus tribuuntur, *v. l. 27. §. 4. in f. ibi: aduerſus confideiuſſorem magis eſt, vt diuidatur. ff. h. t.*

DISTINCTIO IV.

Inter Fideiuſſorem *principalem* & *indemnitatis*.

Prior ſe ſtatim in eum caſum obligat, ſi *creditor ſuum a debitore principali conſequi non poſſit*; at vero *poſterior* in illum

demum, *ſi creditor nec a debitore, nec a fideiuſſore primo, ſuum conſecutus fuerit*, vnde dici ſolet ein Schadloß-Bürge, Hering. *de fideiuſſ. c. 27. p. 1. n. 142.*

Vſus in eo deprehenditur, quod fideiuſſor *ſimplex beneficio excuſſionis renunciare poſſit*, non autem fideiuſſor *indemnitatis*, ſed quod renunciatio, ab hocce facta, plane otioſa ſit & inutilis, quia reuera inuolueret contradictionem, *B)* Hering. *loc. cit. num. 143.* quod ad eum quoque caſum extendit Berlich. *P. 2. concl. 22. n. 25. ſeqq.* cum aliis, licet renunciatio iurato facta fuerit; hic tamen diſſentit illuſtr. Stryk. *de Caut. Contract. ſect. 2. cap. 6. §. 24.* & propter præſtitum iuramentum, ex fideiuſſore indemnitatis fideiuſſorem ſimplicem fieri exiſtimat, cui ſententiæ & nos ſubſcribimus.

B) Non enim tenetur, niſi ſi creditor a debitore, eiusque fideiuſſore, ſuum conſequi nequeat, de quo vero *ante excuſſionem* conſtare nequit.

De Nouationibus & Delegationibus.

DISTINCTIO I.

Inter Nouationem *neceſſariam* & *voluntariam.*

N*eceſſaria*, quæ fit per litis conteſtationem, non tollit priorem actionem & obligationem, ſed hæc ſalua manet, vna cum acceſſoriis ſuis, fideiuſſoribus ſcilicet, atque pignoribus, nec non priuilegiis, *l. 29. h. t.* vnde vocatur *nouatio accumulatiua.* Superaddit tamen priori aliquid, vt v. g. actio ex delicto iam ad heredes transeat, & ex obligatione temporali perpetua fiat, *v. d. l. 29. ibique* Brunnem. *in not. voluntaria* e contrario priorem obligationem, & omnia eius acceſſoria, atque priuilegia, in totum perimit, *A) d. l. 29. h. t.*

DIST.

A) Niſi conuenit, vt pignus repetatur. *l. 11. §. 1. ff. de pign. act.*

DISTINCTIO II.

Inter *Nouationem* & *Delegationem.*

In *nouatione* ſpecialiter ſic dicta (nam in ſenſu generaliori etiam delegationem quandoque ſub ſe comprehendit) nec creditor, nec debitor mutatur, ſed *genus obligationis* ſolummodo, v. g. debuiſti mihi hactenus centum ex emto, iam eadem ex mutuo mihi promittis, &c. vel debuiſti mihi pure, iam in diem vel ſub conditione promittis, &c. §. 3. *I. quib. mod. toll. oblig.* Sed in *delegatione* idem genus obligationis manet, aſt *perſona debitoris* mutatur, v. g. quod Caius mihi hactenus debuit, iam a Titio ſtipulor, *l. 11. pr. ff. b. t.*

Vſum nonnulli in eo quærunt, quod in *nouatione* quidem animus nouandi non præſumatur, bene tamen in *delegatione*, & quod adeo prior debitor indiſtincte ab obligatione liberetur; v. Lauterbach. *comp. iur. b. t.* & late Meuius *p. 7. decif. 11. 12. & 13.* Sed nobis contraria ſententia verior videtur, *B)* quam communiter ex *l. f. C. b. t.* pro-

B) Quæ & in Electoratu Saxoniæ recepta, vid. DECIS. SAXON. *66.* ſi a *mercatoribus* diſceſſeris, inter quos eiuſmodi adcurata *d. l. f.*

probant, cum præcipue eadem ratio, quæ facit, quod nouatio non præſumatur, in delegatione etiam locum habeat. Scilicet tam in nouatione, quam delegatione, creditor prius ius ſuum remittit, & in ſpecie in delegatione priorem debitorem ex nexu obligationis dimittit; at vero neutrum præſumitur, quoniam non leue præiudicium exinde interdum oriri poteſt, v. illuſtr. Stryk. *in not. ad Lauterbach. h. t. verb. putant.*

DISTINCTIO III.

Inter *Delegationem & Ceſſionem.*

Theoretice ita differunt, quod in *delegatione debitor*, in *ceſſione* autem *creditor* mutetur. *C)* In effectu autem, quod *ceſ-*

d. l. f. obſeruatio non eſt neceſſaria, ſed ſufficit, ſi hæc *duo* obſeruentur, 1) Vt delegatus volens debitor fiat, & delegationem acceptet, 2) Vt creditor volentem delegatum admittat, conſenſu *qualitercunque* inter partes declarato. PHILIPP. *ad d. Dec. 66. Obſ. 2. n. 28. ſeqq.*

C) Contrariam ſententiam recte ipſe amplexus eſt AVCTOR *ſupr. Lib. 3. Tit. 3. Diſtinct. 6.* Cedens enim etiam poſt ceſſionem

 re

ceſſio, inſcio & inuito etiam debitore, fieri poſſit, l. 1. C. de nouat. quia huius nihil intereſt; cui ſoluat, cum omnes exceptiones,

re adhuc integra, (h. e. ſi ceſſionarius cum debitore ceſſo nec *litem conteſtatus*, nec *partem debiti* ab eo *accepit*, nec eidem ceſſionem factam *denunciauit*, *l. 3. C. de Nouat.*) poteſt aduerſus debitorem ceſſum agere, *l. 23. §. 1. ff. de Hered. vel. act. vend.* ipſumque debitum accipiendo liberare, *d. l. 3. C. de nouat.* quod profecto *citra ius ac nomen creditoris* minime fieri poteſt. Adcedit, quod tranſlatio eiuſmodi iuris, vt eſt actio, non poſſit *radicitus ab vno ad alium fieri;* tranſit quidem *emolumentum*, ſed *ius ipſum* manet penes *cedentem*, quaſi *oſſibus eius inhærens.* Vnde vix alio reſpectu *creditor* ceſſionarius ſalutari poteſt, quam quod *vtilem actionem proprio iure* intentare poſſit, *l. 5. l. 8. C. de Hered. vel act. vend. l. f. C. Quand. fiſc. vel priuat. l. 55. ff. de Procurat.* ita vt *cedenti* concurrenti *præferatur* in exigendo, *arg. d. l. 55.* SANDE *de Ceſſ. act. cap. 12. §. 4.* LAVTERBACH. *Colleg. Theor. pract. Tit. de Hered. vel act. vend. §. 57.* Add. BRVNNEM. *Cent. 3. Dec. 73.* & *ad l. f. C. de Vſur. n. 1.* ibi: *Si accurate rem exputare velimus, in ceſſione non eſt mutatio*

nes, quas opponere poterat cedenti, adhuc etiam ceſſionario opponere valeat; in *delegatione* autem *debitor conſentire* debet, de ipſius enim maximo præiudicio agitur, quia poſt delegationem exceptionibus aliquibus contra creditorem, *D)* cui delegatus eſt, amplius vti non poteſt, *d. l. 1. C. h. t. l. 12. ff. h. t. E)*

LIB.

tatio perſonæ creditoris. LENZ. *de Nomin. & Action. ceſſ. cap. 27. membr. 2. n. 4.* vbi ἐν πλάτει *ſaltem* ceſſionarium *creditorem* dici poſſe tradit.

D) Regulariter *nulla exceptio*, quæ obſtabat deleganti, obſtat *creditori delegatario*, *l. 19. ff. h. t.* Limita: Niſi exceptio *perſonæ delegati adhæreat.* Sic *mulier fideiubens* a creditore ſuo *delegata*, tuebitur ſe exceptione SCti, etiam *contra ſecundum creditorem*, *d. l. 19. l. 8. §. 2. ff. Ad SCt. Vellei.* (quo caſu tamen creditor delegatarius aduerſus priorem debitorem *in integrum reſtituitur*, *l. 16. C. Ad SCt. Vellei.* DONELL. *Enucl. lib. 12. cap. 31. lit. A.)* Idem dicendum de *minore*, qui circumſcriptus delegatur. *d. l. 19.*

E) Plures ſuperſunt *differentiæ* ab AVCTORE haud tactæ, quas enarrare iuuat, 1) Delegatio fit ei, *cui delegans iam obligatus eſt l. 11. ff. h. t.* Ceſſio ei etiam, *cui cedens*

LIB. XLVII. TIT. I.

De Priuatis Delictis.

DISTINCTIO I.

Inter Delicta *eccleſiaſtica*, *ſecularia* & *mixta*.

Delicta hæc propterea accurate ſecernenda ſunt, vt de foro competente conſtet, & ne forſan iudex eccle-

non eſt obligatus, vt ſi *donationis cauſſa* nomen cedatur. *l. 11. C. de Donat.*

2) Per delegationem debitor delegatus *a priore creditore ſuo penitus liberatur*, *l. 2. C. b. t.* Secus in ceſſione, vbi *re adhuc integra*, ipſe cedens aduerſus debitorem ceſſum agere, & debitum exigere poteſt. *l. 3. C. eod. vid. not. paullo ante ad h. diſt.*

3) In delegatione ſemper *noua ſtipulatio* (hodie pactum) interuenire debet, inter creditorem delegatarium & delegatum, *l. 11. §. 1. ff. b. t.* ſecus in ceſſione, in qua nulla inter debitorem ceſſum & ceſſionarium ſtipulatio requiritur.

4) Delegationi ſemper *ineſt nouatio*, non vero ceſſioni.

eccleſiaſticus iurisdictionem ſecularem, vel e contrario iudex ſecularis eccleſiaſticam, inuadat. De delictis namque *eccleſiaſticis*, v. g. de hæreſi, apoſtaſia, ſimonia, &c. apud pontificios epiſcopi, apud euangelicos autem conſiſtoria cognoſcunt; de *ſecularibus* autem magiſtratus quilibet competens, v. g. de homicidio, furto, rapina, &c. quamuis non negandum ſit, clerum pontificium ex ſtudio extendendi iurisdictionem ſuam, multa crimina ad eccleſiaſtica retuliſſe, quæ tamen mere ſecularia ſunt, quo omnes cauſas matrimoniales refero, conf. illuſtr. Thomaſ. Fürſten-Recht *theſ. 13.* §. 7. Catalogum delictorum eccleſiaſticorum exhibet Brunnemann. *in iure eccleſ. l. 3. cap. 1.* §. 22. hoc quoque nemo ſanus diffitebitur, eundem clerum multa facta ad claſſem criminum externorum retuliſſe, iisdemque grauiſſimam pœnam impoſuiſſe, quæ tamen in foro externo coerceri non debebant, quo pertinet hæreſis, *A)* & apoſtaſia.

De

A) Tu confer omnino Ill. Dn. THOMAS. *diſp. An Hæreſis ſit crimen?* nec non EIVSD. *Tr.* Das Recht Evangeliſcher Fürſten in *Theologi*ſchen Streitigkeiten, *poſit. 18. ſeqq.*

De delictis *mixtis*, v. g. vſuraria prauitate, *B)* magia, ſacrilegio, &c. vterque iudex, eccleſiaſticus & ſecularis, cognoſcit, & ſic locus eſt præuentioni, v. Brunnem. *loc. ante cit.*

DISTINCTIO II.

Inter Delicta *nominata* & *innominata*.

Nominata ex ſpeciali nomine ſuo cognoſcuntur, v. g. homicidium, adulterium, furtum, &c. *innominata* autem tali nomine deſtituuntur, v. g. ſi quis æs pro auro oppignorat, & reliqua omnia, quæ in digeſtis ſub titulo *de ſtellionatu* recenſentur. Interim hæc diſtinctio mere theoretica eſſe videtur.

DISTINCTIO III.

Inter *vera* & *quaſi* Delicta.

Priora ex dolo, *poſteriora* autem ex culpa & negligentia proueniunt, vnde in *prio-*

B) Apud *Proteſtantes* cognitionem ac coercitionem horum delictorum ad *iudicem ſecularem* pertinere, tradit B. AVCTOR Einleit. zum *Conſiſtorial-*Proc. *cap. 6. §. 17. 26.*

prioribus quidem pœna ordinaria locum habet, non autem in *poſterioribus*, nam v. g. homicidium doloſum pœna gladii, culpoſum autem pro gradu culpæ, fuſtigatione, aut ſola relegatione *C)* coercetur.

Non video autem, his ſuppoſitis, quid permouerit Lauterbachium, quod *in Comp. iur. h. t.* ſtatuerit, *damnum iniuria datum ad vera delicta referri, licet ex culpa ſit; D)* ratio enim, quam ſubiungit, *quia hic principaliter tantum reſpicitur ad damnum reſarciendum*, parum quadrare videtur, quia ratio denominandi non a reſtitutione damni priuati, ſed a gradu pœnæ deſumta eſt.

DIST.

C) Vel etiam *mulcta pecuniaria*, aut pœna carceris. CARPZOV. *Pract. Crim. part. 1. Q. 26. n. 38.*

D) Elegans temperamentum huius rei adfert Ill. Dn. de BERGER *Reſolut. Lauterbach. p. 817.* damnum iniuria datum ad *vera* delicta, *qua dolo*, ad *quaſi* delicta, *qua culpa* committitur, referendum eſſe. Add. DN. MENCKEN. *Tractat. Pand. Synopt. Tit. de Priuat. delict. p. m. 615.*

DISTINCTIO IV.

Inter Delicta *publica & priuata.*

Nonnulli hæc duo ita diſtinguunt, quod *publica* delicta *in rempublicam*, *priuata* autem *in priuatum* committantur, a quibus ipſe Lauterbachius *h. t.* non adeo longe recedere videtur, v. Brunnemann. *Repet. Paratitl. Weſenb. tit. de publ. iudic. qu. 1.* ſed hi quidem non adeo accurate procedere videntur, cum & homicidium in priuatum committatur, & tamen non ſolum in Inſtitutionibus, ſed in Digeſtis quoque, in catalogo delictorum publicorum recenſeatur. Alii alias tradunt definitiones, quas omnes recenſere præſentis inſtituti non eſt, vid. Huber. *prælect. ff. tit. de iud. public.* §. 2. Hahn. *ad Weſenb. tit. de priuat. delict. num. 3. verb. priuata ſunt.* Struu. *S. I. C. Ex. 49. th. 1. & 2.*

Mihi ita videtur. Ab initio reip. Romanæ iudicia ideo *publica* dicebantur, quia ipſe populus publice iudicabat, conf. *l. 2. §. 16. & 23. ff. de O. I.* vbi dicitur, *quod nec ipſi Conſules in caput ciuis Romani animaduertere iniuſſu populi potuerint*, vnde Cicero damnatus eſt lege Clodia, quia iniuſſu populi coniuratos ſupplicio affecit, v. Pacius *ad §. 1. I. de publ. iud. in fin.* Duarenus

renus *l. 1. Diſp. 37.* Gothofr. *ad rub. ff. de publ. iudic.* Bachou. *ad Treutl. vol. 2. Diſp. 31. th. 1. lit. A.* Brunnemann. *ad l. 1. ff. de publ. iudic.* Certus autem fuiſſe videtur horum iudiciorum numerus, quae recenſentur in *l. 1. ff. h. t.* vbi ICtus diſerte affirmat, *non omnia iudicia, in quibus crimen vertitur, publica eſſe, ſed ea tantum, quae ex legibus publicorum iudiciorum veniunt.* ICti accuratiores quoque iam dudum obſeruarunt, Tribonianum potius etymologiam, quam exactam definitionem tradidiſſe, quando in §. *1. I. de publ. iudic.* publica iudicia ideo ſic dicta fuiſſe aſſerit, *quod cuiuis ex populo executio eorum plerumque detur*, nam in popularibus etiam actionibus quilibet ex populo agit, eae tamen propterea non ſunt iudicia publica, v. Huber. *loc. ant. cit.* §. *1.* Elegans adhuc eſt locus apud Gothofredum *ad pr. I. de publ. iud. Publica*, inquit, *iudicia in foro palam, ſub dio, vel ab ipſis praetoribus (ſex lictoribus eius tribunal circumſtantibus) ſiue quaeſitoribus, pro tribunali in ſella curuli ſedentibus, (quibus aderant iudices in ſubſelliis ſedentes 50 vel 60) exercebantur*, qui Autor *ad l. 8. ff. de publ. iudic.* ordinem publicorum iudiciorum veterem fuſe etiam deſcribit.

Haec quidem apud veteres Romanos ita obtinuerunt. Sed quaeritur nunc vlterius, quaenam moribus noſtris publica iudi-

cia

cia dicantur? vbi DD. in eo fere omnes conſentire video, quod hodie delictum publicum & priuatum ex intentione agentis diiudicandum. Quod ſi enim hic *ſatisfactionem publicam* vrget, delictum eſt *publicum*, ſin vero *priuatam ſatisfactionem*, *priuatum* etiam vocari conſueuit, v. Struu. *S. I. C. Ex. 48. th. 13.* illuſtr. Thomaſ. *Diſſ. Lipſ. de Abigeatu.* §. 7. add. Brunnemann. *Exerc. 31. ad pr. tit. de publ. iudic.*

Vſus in eo conſtitui poſſet hodie, quod in *delictis priuatis* heredes etiam *poſt litem conteſtatam* obligentur ad pœnam priuatam perſoluendam, (idem eſt, ſi ob moram rei, litis conteſtatio fieri non potuit, Farinac. *quæſt. crim. 10. n. 51.*) quod ſecus ſe habet in delictis *publicis*, *E)* Farinac. *loc. cit. num.*

E) Quod ad hæc diſtinguendum, vtrum ad pœnam *capitalem*, vel *corporalem*, an vero ad pœnam *pecuniariam*, fiſco inferendam, agatur. *Hoc caſu ſola litis conteſtatio* non ſufficit, (quoniam in criminibus litis conteſtatio non poteſt quaſi contractus cenſeri, quum priuati non poſſint contrahere de iure publico, ſeu de crimine, cuius vindicta & pœna ad rempublicam pertinet *l. 27. §. 4. ff. de pact.*) ſed præter eandem, & *ſententia condemnatoria*, quæ in rem iudicatam tranſiit, re-

quiſ

num. 53. ſeq. Brunnemann. *ad l. 1. ff. de priuat. delict.*

Sic quoque in delictis *priuatis* actio aduerſus heredes conceditur, *ſi aliquid ad eos ex delicto peruenerit*, non autem in *publicis*, Brunnem. *loc. cit.*

Poſſet hoc quoque addi, quod delicta *priuata* anno, *F)* ſi ad pœnam priuatam agitur; triginta vero annis, ſi ad rem perſequendam; *publica* autem communiter viginti annis *G)* præſcribantur, *l. 12. C. ad L. Corn. de falſ.*

Item, in delictis *publicis* per modum denunciationis proceditur, & in illis iudex ex officio inquirit; non autem in *priuatis*, vbi officium ſolummodo mercenarium eſt.

In

quiritur; per *l. 20. ff. de Adcuſat. & Inſcript.* CARPZOV. *Lib. 3. Reſp. 38. n. 19. ſqq.* & *in Pract. Crim. part. 3. Q. 131. n. 7. ſeq.* WISSENBACH. *ad ff. part. 2. Diſp. 33. th. 24.* *Illo*, lata quantumuis ſententia condemnatoria, *pœna* ſemper *euaneſcit*, ſi delinquens ante exſequutionem decedat. BRVNNEM. *ad l. 1. C. Si reus vel adcuſat. mort. n. 5.*

F) Exceptionem vid. Supr. *Lib. 44. Tit. 7. Diſtinct. 13.*

G) *Exceptionem* vid. apud AVCTOR. *Doctr. Pand. Tit. de diuerſ. temporal. præſcript. §. 6.*

In delictis *priuatis* certi quid petere debet actor, non autem in publicis, *v. tit. de edendo diſt. II.*

Alia reperi poſſunt ex *tit. de iudiciis diſt. I.* quibus adde, quod in delictis *publicis* abſens edictaliter citetur, non vero in *priuatis.* v. *Doctrin. ff. tit. de iudic.* §. *XX. XXI. XXII.*

LIB. XLVII. TIT. II.

De Furtis.

DISTINCTIO I.

Inter Furtum *conceptum*, *oblatum. probibitum*, & *non exhibitum.*

Cum Imp. Iuſtinianus iam ſuo tempore in §. 4. *I. de oblig. quæ ex delict. naſc.* aſſeruerit, *actiones concepti*, & *oblati*, & *furti probibiti*, *nec non furti non exhibiti*, *in deſuetudinem abiiſſe*, hinc adlata diſtinctio hodie etiam ſine dubio inter inutiles referenda erit. Ceterum deſcriptionem ſingularum ſpecierum in *cit.* §. 4. *I. d. t.* deprehendes.

DIST.

DISTINCTIO II.

Inter Furtum *manifeſtum* & *non manifeſtum.*

Vſus de iure Romano *ratione pœnæ priuatæ* ſeſe exſerebat. Scilicet propter furtum *manifeſtum* pœna quadrupli, propter *non manifeſtum*, dupli ſaltem conſtituta erat, *§. 5. I. de oblig. quæ ex delict. naſc.*

Sed quid hodie? Qui vſum adlatæ diſtinctionis hodiernum adhuc defendunt, ad *Art. 157. & 158. Conſt. Crim.* prouocare ſolent, vbi pœna dupli & quadrupli non obſcure repetita eſſe videtur. Verum enim vero qui ad vſum iudiciorum reſpicit, is neque alias actiones Romanorum pœnales, neque has in ſpecie, ibi deprehendit, cum apud nos, ſiue fur diues, ſiue pauper ſit, actio ſaltem ad ipſam rem ablatam recuperandam, & deinde ad pœnam publicam infligendam, inſtitui ſoleat, vnde huc pertinet practicorum illud, es iſt dieſes niemahls zur obſeruanz gekommen; & quilibet videt, compilatorem conſtitutionis criminalis ex ignorantia morum Germaniæ, dictum locum illi conſtitutioni inſeruiſſe. Non obſtaret etiam, quamuis vnum aut duo exempla adduci poſſent, quod adhuc iuxta ius Ro-

Romanum pronunciatum fuerit; Reſp. enim, vnicam hirundinem non facere ver, & ex vno aut duobus præiudiciis nondum profluere vſum practicum. Conf. Carpz. *Pr. Crim. qu. 78. n. 8.*

DISTINCTIO III.

Inter Furtum *domeſticum* & *extraneum.*

Vſus in eo conſiſtit, quod furtum *domeſticum* pœna laquei nunquam coerceatur, bene tamen *extraneum.* Dicitur autem furtum *domeſticum*, quod a coniugibus, parentibus, liberis, aliisque conſanguineis, intra quartum gradum, *A)* nec non a proximis affinibus, *B)* ſocero, vitrico, genero, priuigno, ſororis marito, &c. commiſſum. De iure ciuili etiam ad domeſticum referebatur, quod ab inquilinis, ſeruis, famulis, ancillis, pediſſequis, aliisque mercena-

A) Hæc *gradus* determinato eſt ex *iure Saxonico*, & intelligitur quartus gradus *computationis ciuilis.* CARPZOV. *Pract. Crim. part. 2. Q. 82. n. 45.*

B) Siue adfinitas adhuc *conſtet*, ſiue morte *diſſoluta* ſit. DN. de BERGER *Reſolut. Lauterb. p. 96.* & in *Elect. Iurispr. Crim. cap. 2. m. 1. §. 9. Not. 1.*

cenariis, qui mercede diurna operas ſuas locant, perpetratum; ſed tales perſonæ hodie plane non excuſantur, *C)* de qua materia fuſe agit Carpz. *Pr. Crim. qu. 82. num. 39. vsque ad num. 60.*

DISTINCTIO IV.

Inter Furtum *nocturnum & diurnum.*

Fur *nocturnus* ab eo, cui res ſuas auferre intendit, impune occidi poteſt, modo (1) hoc faciat *pro defenſione ſuæ perſonæ, vel rerum ſuarum*, vnde fur, ſi absque rebus recedat, occidi nequit, (2) *cum clamore*, (3) *vt ignotus fuerit fur*, nec adfuerint teſtes, qui illum cognoſcere & contra eum de furto deponere potuerint, & (4) *quod capere non potuerit furem;* quæ quatuor ab interpretibus copulatiue requiruntur, alias, ſi vnum ex illis deficit, pœna extraordinaria locum habet, quam materiam iterum latius

C) Temperant hoc DD. ſi famuli *Dominis ſufficienter requiſitis, ſed malitioſe mercedem ſoluere recuſantibus*, quid ſubtrahant, quo caſu *mitior pœna* locum habet. HAHN. *ad Weſenbec. h. t. n. 8.* PHILIPP. *Vſ. pract. Inſtit. Lib. 4. Eclog. 5.* ibique *præiudic.*

tius pertractat, & Reſponſis Scabinorum Lipſienſium illuſtrat Carpzou. *qu.* 32. *n.* 37. *ad fin.* Adde locum *Exod.* 22. *verſ.* 2. & 3. Wann ein Dieb ergriffen wird, daß er einbricht, und wird drob geſchlagen, daß er ſtirbt, ſo ſoll man kein Blut-Gericht über jenen laſſen gehen, iſt aber die Sonne über ihn aufgangen, ſo ſoll man das Blutgerichte gehen laſſen.

DISTINCTIO V.

Inter Furtum *magnum* & *paruum*.

Propter furtum *magnum*, id eſt, tale, quod valorem quinque aureorum Hungaricorum excedit, pœna ſuſpendii locum habet, *D)* non autem propter *paruum*; vnde etiam ſi furtum a pluribus commiſſum, diuiſione autem rei furtiuæ inter fures facta, cuiuslibet portio ad volorem quinque ducatorum

D) Intelligendum hoc de *Iure Saxonico.* vid. *infr. diſt.* 7. *h. t.* Extra Saxoniam, ſi *prima* vel *ſecunda* vice furtum ſimplex commiſſum, non niſi ad ſummum *pœnam fuſtigationis* infligi, obſeruat ipſe AVCTOR *ad Conſtit. Crim. art.* 160.

torum non aſcendat, *E)* pœna ſuspendii locum non habet, quia furtum ſingulorum intuitu, magnum eſſe debet, *v. Conſt. Crim. art. 159. ſeqq.* Carpzou. *quæſt. 78. num. 26. ſeqq.*

DIST.

E) Imo potius, ſi valorem quinque ſolidorum non *excedat.* Quamuis enim CONSTIT. SAXON. *32. Part. 4.* alternatiue loquatur: **daß jeder Dieb fünff Ungariſche Gülden werth, ODER drüber hätte bekommen können**, ſecundum *interpretationem vſualem* tamen ea ſaltem intelligitur *de exceſſu*, vt vnius cuiusque portionem, quæ ex re furtiua ad eum peruenire potuit, valorem quinque ſolidorum *excedere* oporteat, atque adeo eam *adtingi* minus ſufficiat. DN. de BERGER *Elect. Iuriſpr. Crim. cap. 2. membr. 1. §. 7. p. 43.* Conſent. CARPZ. *Pract. Crim. part. 2. Q. 78. n. 42.* ibi: *Vt facta inter eos diuiſione æquali, vnius cuiuslibet portio, quæ ex re furtiua ad eum peruenire potuit, valorem quinque Vngaricorum excedat.*

DISTINCTIO VI.

Inter Furtum *ſimplex & qualificatum.* F)

Propter furtum *ſimplex* prima vice commiſſum pœna laquei regulariter dictari non

F) Addendæ adhuc *duæ* differentiæ:

1) In furto *ſimplici* ad quantitatem rei ſubreptæ, in dictanda pœna, abſolute adtenditur, arg. *art. 160. Conſt. crim.* neque in Saxonia pœna ſuſpendii locum habet, niſi illud valorem 5 aureorum excedat, quod ſecus in furto *qualificato.* CONSTIT. CRIM. *art. 159.* CARPZOV. *Pract. Crim. part. 2. Q. 79. n. 11.*

2) In furto *ſimplici* reſtitutio rei ſubreptæ, vel ſaltem maioris partis, ita quidem, ut id, quod adhuc abeſt, valorem quinque aureorum haud excedat, mitigat pœnam, tum iure Carolino, *arg. art. 160. Conſt. Crim.* (modo non ſit *tertium* furtum, *art. 162. Conſt. Crim.* ibique AVCTOR *in not.*) tum iure Saxonico, CARPZOV. *Pract. Crim. part. 2. Q. 80. n. 23. 66. 73.* quod rurſus aliter ſeſe habet in furto *qualificato.* CARPZ. *d. Q. n. 61. ſeq.*

non poteſt, *G)* bene tamen propter *qualificatum*. Dicitur autem *qualificatum*, non vt vulgo deſcribunt, das mit Einſteigen und Erbrechen geſchicht, ſed prout recte ſtatuit *H)* Carpz. *qu. 79. num. 5. & 6. quando effra-*

G) Scilicet *extra Saxoniam*, aliud *in Saxonia*. vid. *diſt. ſeq. in f.*

H) Imo non adeo recte ex mente & ſententia CONSTIT. CRIMINAL. *art. 159.* quae *tres* ſpecies furti *periculoſi* conſtituit, 1) ſi fur ædes vel receptaculum effringit, 2) ſi in ædes vel receptaculum per adſcenſionem penetrat, 3) ſi fur armata manu ædes alienas, furandi cauſſa, ingreditur. Ex quo conſit 1) ad furtum *periculoſum* neutiquam *copulatiue adſcenſionem cum effractione & armis*, requiri, prout quidem poſt CARPZOVIVM rationes ſubducit BEYER. *ad art. 157. ſeqq. poſit. 32.* quum Imp. *d. art. 159.* per particulam disiunctiuam: ODER, hos *tres* caſus a ſe inuicem ſeparet, ibi: Bricht oder ſteiget, oder mit Waffen, damit er iemand, der ihm Widerſtand thun wolte, verletzen möchte, cetera, nec 2) requiri, vt illa effractio *coadunatis hominibus* fiat, *vnde ſeditio oriri poſſit*, partim, quod vocabulum: Vergewaltigung, quo Imp. *d. art.* vtitur, ad *terti-*

fractio ſit cum armis, magna adbibita violentia, ex qua facile ſeditio oriri poſſet, & vnde latrocinium a fure, cum telo accedente, metuendum, ein geſliſſener, gefährlicher Diebſtahl, id eſt; vbi ex circumſtantiis apparet, delinquentem & furandi & occidendi animum habuiſſe, quia talibus armis inſtructus fuit, quæ communiter ad interficiendos homines adhiberi conſueuerunt, *Art. 159. & 160. Conſt. Crim.* ibi: So iſt in dem Diebſtahl, der mit Waffen geſchicht, eine Vergewaltigung und Verletzung zu beſorgen, darumb in dieſem Fall der Mann mit dem Strang geſtrafet werden ſoll, de quo latius videri poteſt Carpz. *loc. cit.*

DISTINCTIO VII.

Inter Furtum *primum & tertium.*

Ob *primum* pœna laquei non dictitatur, niſi aliud quid concurrat, ex quo ſingula-

um caſum, da der Diebſtahl mit Waffen geſchicht, reſtringatur, partim, quod dictum vocabulum nil aliud, quam *violentiam & læſionem metuendam*, denotet, quæ vis & ab *vno* fure, ſine ſociis, inferri poteſt. Elegantiſſime TABOR *ad d. art. 159. ſ. 2. 5. & 12.* DN. KRESS. *ad d. art. n. 4.* Et mutauit AVCTOR ſententiam ſuam *in not. ad art. 59. C. Cr.*

gularis malitia furis appareat, *v. art. 160. Conſt. Crim.* ibi: Und in ſolchen Fällen muß man anſehen den Werth des Diebſtahls, auch ob der Dieb darob berüchtiget oder betreten ſey, mehr ſoll ermeſſen werden der Stand und das Weſen der Perſon, ſo geſtohlen hat, und wie ſchädlich dem Beſchädigten der Diebſtahl ſeyn mag, und Straff darnach an Leib, oder Leben, *I)* urtheilen, quam ſententiam, quamvis multi diſſentiant, per totam tamen Germaniam fere vſu & praxi receptam eſſe teſtatur Daniel Möller. *ad conſt. Elect. 32. num. 8. in fin. part. 4.* Sed ob tertium pœna laquei locum habet, *K)* modo tria

I) Pœna fuſtigationis quidem ob *primum* furtum *ſimplex* infligi poteſt, ſi circumſtantiæ id ſuadeant; aſt *capitalem* pœnam *extra Saxoniam* haud dictari obſeruat ipſe AVCTOR *in not. ad Conſt. Crim. art. 160.*

K) Indiſtincte, ſiue fur ob furta anteriora iamtum *punitus* ſit, ſiue non, quoniam Conſtitutio Criminalis *haud diſtinguit*, ſed ſaltem *probationem* furtorum commiſſorum requirit DN. de BERGER. *Elect. Ipr. crim. cap. 2. Membr. 1. §. 6.* AVCTOR *in not. ad art. 162. Conſt. Crim.* Contraria ſententia tamen in *Ducatu Magdeburgico* eſt recepta. Magdebl. Pol. Ordn. *cap. 71. §. 1.*

tria furta, ſimul computata, valorem quinque ſolidorum excedant. *L)* In Saxonia tamen per *cit. conſt. Elect. 32. Part. 4.* etiam ob primum furtum magnum pœna laquei indiſtincte dictari ſolet, vid. Carpz. *qu. 78. n. 68. vsque ad 82.*

DISTINCTIO VIII.

Inter Furtum *rei*, *vſus* & *poſſeſſionis*.

Ratione *pœnæ priuatæ* conueniunt hæ tres furti ſpecies, quemadmodum enim ob furtum *rei* non manifeſtum actio furti ad conſequendum duplum competit, §. 5. *I. de oblig. quæ ex delict. naſc.* ita quoque ob furtum

L.) In ipſo *art. 162.* hæc reſtrictio κατὰ τὸ ῥητὸν non habetur, unde & MATTH. STEPHAN. *in not.* ſtricte verbis inhæret, ac indiſcriminatim pœnæ capitali locum concedit, *ſiue tria illa furta magna ſint, ſiue modica & parua;* ſed præualuit *benignior* ſententia, quod pœna laquei tunc demum dictari poſſit, *ſi tria illa furta valorem quinque ſolidorum excedant*, quam & idoneis rationibus firmat DN. KRESS. *in not. ad d. art. n. 2.* & vſus fori tuetur, B. STRYK. *Vſ. mod. ff. h. t. ſ. 5.* DN. de BERGER, *d. Membr. 1. ſ. 6.*

tum *vſus*, *l. 54. pr. & §. 1. ff. b. t.* nec minus ob furtum *poſſeſſionis*, *l. 46. §. 1. ſeqq. l. 79. ff. eod. l. 74. ff. de ſolut.* vbi tamen non res ipſa, ſed intereſſe duplatur. Hactenus ergo diſtinctio illa vſum aliquem apud Romanos ne quidem habuit.

Deprehenditur tamen ille *intuitu pœnæ publicæ*, nam pœna laquei propter furtum *rei* quidem locum habet, non tamen propter furtum *vſus* & *poſſeſſionis*, de quo iterum conſulendus ſæpe citatus Carpzouius *quæſt. 85. per tot.*

Lib. XLVII. Tit. X.

De Iniuriis & Famoſis Libellis.

DISTINCTIO I.

Inter Iniuriam *verbalem* & *realem*.

Vſus hic eſt. Ob iniuriam *verbalem* æſtimatoria, quia prætoria eſt, *intra annum ſaltem* inſtitui poteſt, a tempore notitiæ computandum, *l. 17. §. 6. ff. de iniur. l. 5. C. eod.* ſecus in iniuria *reali*, quando actio illa ex L. Cornelia propterea in-

inſtituitur, quia quis alterum verberauit, pulſauit, aut domum eiusdem vi introiuit, haec enim, quia ex iure ciuili deſcendit, *triginta demum annis* praeſcribitur, *arg. l. 3. C. de praeſcript. 30. annor.* quod autem ex L. Cornelia ad aeſtimationem agi poſſit, ſatis liquide ex *l. 37. §. 1. ff. h. t.* apparet. v. B. Stryk. *in tr. de act. forenſ. inueſt. ſect. 1. membr. 10. §. 49.*

DISTINCTIO II.

Inter Iniuriam *ſcriptam* & *non ſcriptam.*

Vſus in Camera deprehenditur. Quod ſi enim iniuria *ſcripta* eſt, illam *perpetuo* vindicari poſſe, ſtatuunt Cameraliſtae, vid. Gail. *lib. 2. obſ. 108.* ſi vero *non ſcripta* eſt, actio iniuriarum *anno* praeſcribitur.

In Saxonia & *ſcripta* & *non ſcripta* iniuria anni lapſu extinguitur, *A)* Carpz. *P. 4. C. 46.*

A) Hodie in *Electoratu Saxoniae* omnes ſollemnes *iniuriarum actiones*, ex iure Romano, vel moribus, antea receptae, prorſus *abolitae* ſunt, ita vt *ſola denuntiatio*, ac ſimplex facti narratio, ſufficiat, Rüge, de quo vid. fuſe Dn. KRAVS. *Tractat. Synopt. Proceſſ. iudiciar. Lib. 2. cap. 1. §. 3.* Interim

C. 46. def. 1. in fin. quam ſententiam & iuri Romano conformem eſſe, aſſerit illuſtr. Stryk. *loc. cit. ∬. 48.* quippe quod, hoc reſpectu, iniuriam alteram ab altera neutiquam diſtinguit, add. Struu. *S. I. C. Ex. 48. th. 65.*

DISTINCTIO III.

Inter *Iniuriam Scriptam & famoſum Libellum*, ſiue *Pasquillum.*

Quoad differentiam theoreticam DD. in eo, ni fallor, conueniunt omnes, quod *famoſus libellus* alteri *delictum aliquod vel factum turpe* imputare debeat, Heigius *P. 2. quæſt. 31. num. 16. ſeqq.* vnde, ſi quis ſaltem luſcus, claudus, ſpurius, vel, vt addit de ſuo tempore, Carpzouius *prax. crim. quæſt. 98. num. 31.* nouitius, ein Pennal, vocetur, hoc non pro famoſo libello, ſed pro iniuria ſcripta habendum eſt.

Verum in eo maximum inter interpretes deprehenditur ſchisma, quando nempe quæritur: *vtrum etiam ad eſſentiam famoſi libel-*

Interim quod ad *præſcriptionem* hanc *annalem*, nihil mutatum, atque adeo etiam in denuntiatione, illa adtendenda. KRAVS. *d. c. 1. ∬. 24.*

libelli requiratur, vt auctor nomen ſuum occultet? Affirmatiuam tuentur Carpz. *d. q.* Schultes *in addit. ad Matth. Coler. Part. 1. deciſ. 154. n. 15.* Finckelth. *Obſ. 38. per tot.* qui plures allegat. Prouocant hi ad *l. 5. ſ. 9. ff. de iniur.* item *ad l. vn. C. de famoſ. libell.* nec non ad *Conſt. Crim. art. 110.* ibi: So iemand durch Schmähebrieffe, die er ausbreitet, und ſich nach Ordnung der Rechte, mit ſeinem rechten Tauff- und Zunahmen nicht unterſchreibet, Laſter und Ubel zumiſſet. DD. Saxonici adhuc addunt *Conſt. Elect. 44. Part. 4. ſ.* Ordnen und ſetzen auch

Negatiuam propugnant Petrus Heigius *d. p. 2. qu. 31.* Bocerus *de famoſ. libell. cap. 2. n. 7. 8.* Stephani *ad art. 110. Conſt. Crim.* & alii ab hoc citati, qui non minus ac priores ad *l. 5. ſ. 9. ff. de iniur.* præcipue autem ad *Receſſ. Imp. de An. 1577. tit. 35.* von Buchdruckern, Schmähe-Schrifften, &c. *verb.* es habe der Autor ſeinen Nahmen darunter geſetzt, oder nicht &c. prouocant.

Nobis affirmantium ſententia negatiuæ præferenda eſſe *B)* videtur, ex rationibus,

B) Mihi vero, pace AVCTORIS, *negans* ſententia præferenda videtur, cui *dict. Rec. Imp.* adprime fauere, excuſſis breuiter FINCKETHAVS. rationibus, planum perſpicuumque fiet. Age, ordine easdem recenſeamus. *In R. I. de anno 1577. tit. 35. ſ.*

bus, quas longo numero ſuppeditat Finckelthauſ. *cit. obſ. 38.* vbi in ſpecie *num. 17.* mo-

35. *ſ.* Und ſetzen, inquit, *nihil de famoſo libello dicitur, ſed tantum præcipitur, ne libri ad infamiam & contemtum alterius ſcripti, imprimantur & vendantur, etiamſi nomen Auctoris ſit adiectum, ſcilicet in iſtis libris, non in famoſis libellis; Tum temporis enim vbique locorum in odium pontificiæ religionis componebantur varia ſcripta, etiam cum nominibus Auctorum, quod ſcandalum vt tolleretur, & Pontifici auctoritas ſua conſeruaretur, Imp. voluit illam Conſtitutionem promulgare.* Reſp. 1) Nimis audacter negari, quod *cit. ſ. 3. ab initio* de famoſis libellis prorſus non loquatur, cui ſententiæ refellendæ ſat eſt, ſi modo ipſa verba *d. ſ. 3.* adponamus: Und ſetzen, ordnen, und wollen Wir, daß alle und iede Obrigkeit, Uns und dem H. Römiſchen Reich unterworffen, ernſtlich Einſehen thun = = = = ſolle, daß nicht allein dem, wie obgemeldt, treulich nachkommen, und gelebt werde, ſondern daß auch nichts, ſo der chriſtlichen allgemeinen Lehr = = = = ungemäß, und wiederwärtig, oder zu Unruh und Weiterung Urſach geben, noch

monet, verba: Es habe der Auctor ſeinen Nahmen darunter geſetzt, oder nicht, non referen-

noch auch keine Famoß-Bücher oder Schriften, es habe der *Auctor* ſeinen Nahmen darunter geſetzet, oder nicht, deßgleichen auch nichts ſchmäliches, paßquilliſch, oder in andre Weiß, wie das Nahmen haben, und in was Schein das beſchehen möchte, gedicht, geſchrieben, in Druck bracht, gemahlt, geſchnitzt, gegoſſen oder gemacht, ſondern wo ſolche und dergleichen Bücher, Schrifften, Gemählde, Abguß ⸗ ⸗ ⸗ ⸗ in Druck oder ſonſt vorhanden wären, ⸗ ⸗ ⸗ daß dieſelbe nicht feyl gehabt, ⸗ ⸗ ⸗ ⸗ ſondern den Verkäuffern genommen, und ſo viel immer möglich, untergedrückt werden. Iam iudica, *Lector*, num his verbis *vil quidquam* caueatur de *libellis famoſis*. 2) Liber *ad infamiam* alterius ſcriptus, compoſitus, nil aliud eſt quam *famoſus libellus* ʃ. 1. *I. de Iniur. l.* 5 ʃ. 9. *ff. eod.* Vnde quum fatente ipſo FINCKELTHAVS. *d.* ʃ. 3. agatur de libris *ad infamiam alterius* compoſitis, neceſſario conſit, agi *de libellis famoſis*. Pergit FINCKELTHAVS. *Verba igitur hæc:* Es habe

ferenda eſſe ad Pasquillos, quippe de quibus demum *in fine d. tit. 35.* agatur, ſed ad libros, ad

habe der *Autor* ſeinen Namen drunter geſetzet oder nicht, *applicanda ſunt ad verbum:* Schrifften, *non ad verbum:* Famoß-Bücher. *De his enim agitur in fine d. T. 35.* §. Und ſetzen, *vbi expreſſe ſuppreſſio nominis ſupponitur, ibi:* biß der rechte *Autor* befunden. Reſp. 1) Paullo ante euictum, non demum in fine *d.* §. *3.* ſed etiam *ab initio* eiusdem, de *libellis famoſis* tractari, 2) in verbis antecedentibus *d.* §. *3.* vetitum, ne famoſus libellus, vel (famoſa) ſcriptura, exaretur, imprimatur, vendatur, ſiue nomen Auctoris ſit expreſſum, ſiue non; pariter, ne quid ad infamiam alterius tendens, pingatur, ſculpatur, fundatur; vnde verba illa: biß der rechte *Autor* befunden, reſpiciunt partim ad *picturam vel ſculpturam famoſam*, (heic enim regulariter *nomen* auctoris *non adiicitur*,) partim ad eum caſum, ſi *nomen* auctoris in libello famoſo ſit *ſuppreſſum*, quod tunc Magiſtratus auctorem picturæ, ſculpturæ famoſæ, libelli famoſi, perquirere ac inueſtigare debeat. *Hinc etiam*, ita tandem concludit FINCKELTHAVS. *Imp. ibi ſeiungit Famos*-Bücher

ad iniuriam alterius & contemtum ſcriptos, quod illi imprimi & vendi non debeant, quam-

von andern Schrifften, *per particulam disiunctiuam*: Oder. Reſp. 1) Lubricum ac fallax eſſe argumentum, petitum a particula: Oder, quam ſæpenumero non *disiunctionis*, ſed *coniunctionis* vim ac effectum habere, nemo neſcit, & variis exemplis affirmat WISSENBACH. *ad l. 53. ff. de V. S.* Nec opus eſt aliunde hanc in rem exempla conquirere, quum in ipſo hoc *Tit. 35. duo* ſuppetant admodum perſpicua. Sic in *d.* §. 3. dicitur: Und ſoll nicht allein der Verkäuffer oder Feylhaber, cetera, & §. *antec.* 2. den *Autorem* oder Dichter des Buchs, cetera, vbi abſonum profecto, vrgere vim disiunctionis particulæ: Oder. 2) Nil vetat, quo minus particulam: Oder, (*Famos*-Bücher) oder Schrifften) *h. l.* latine reddas: *ſeu*, *ſiue*, quæ dictio *disiungit verba*, *non mentem*, ſecundum CARD. TVSCH. *Pract. Concl. Tom. 2. lit. D. Concl. 372. n. 3.* vt ſenſus ſit: nullos famoſos libellos, SEV famoſas ſcripturas, debere exarari, imprimi, vendi. Quam explicationem apertiſſime iuuat contextus, cum primis *verſic.*

quamuis in iis Autoris nomen adiectum fuerit.

Vſus

ſic. Und ſoll nicht allein *d.* §. 3. Und ſoll nicht allein der Verkäuffer oder Feylhaber, ſondern auch der Käuffer, und andere, bey denen ſolche (NB. ſolche, de quibus antea dictum) Bücher, Schmäh-Schrifften, oder Gemählde, Paßquills oder andere Weiſe, ſie ſeyn geſchrieben, gemahlt, oder gedruckt, gefunden, gefänglich angenommen, gütlich, oder, wie es die Nothdurfft erfordert, peinlich, wo ihm ſolche Bücher, Gemählde, Schrifft, herkommen, gefragt, und ſo der *Autor*, oder ein ander, wer der wäre, von dem er, der Gefangene, ſolche Schrifft, Gemählde, oder Bücher, überkommen, unter derſelben Obrigkeit geſeſſen, der ſoll alsbald auch gefänglich eingezogen (werden.) Ex quibus pellucet, vocabulum: Schrifften, antea *abſolute* poſitum, idem eſſe ac Schmäh-Schrifften, atque adeo vocabulum: Schrifften a vocabulo: Famoß-Bücher, non eſſe ſeiüngendum.

Vſus diſtinctionis huc breuiter redit, quod ob *iniurias ſcriptas* pœna arbitraria ſaltem dictari ſoleat, ob *famoſum libellum* autem, ſi in eo delictum capitale alicui imputatum fuit, pœna vltimi ſupplicii locum habeat, vid. Stephani *loc. prox. cit.* quamuis nec hoc adeo rigide hodie obſeruari ſoleat. *C)*

LIB. XLVII. TIT. XI.

De Extraordinariis Criminibus.

DISTINCTIO I.

Inter Crimina *ordinaria* & *extraordinaria*.

Variæ hic DD. ſunt opiniones, quænam inter duo illa intercedat differentia. Admodum vero placent, quæ

C) Conf. AVCTOR *in not. ad Conſt. Crimin. art. 110.* vbi recte monet, *pœnam talionis* in

quæ hac de re habet illuſtr. Thomaſius *in Diſſ. Lipſ. de Abigeatu* §. 8. Publica ſcilicet, in ſpecie dicta, (ſiue *ordinaria*) ea eſſe, in quæ pœna, intereſſe reipubl. reſpiciens, *certa aliqua, & ſpeciali lege publicorum iudiciorum, vel SCto*, eſt ſtatuta, quamuis *ipſa pœna non ſemper ſit certa*, ob nimis variantes circumſtantias, vt in crimine falſi; e contrario autem *extraordinaria* vocari, *vbi deficit Lex, vel SCtum*, pœnam dictans, ſed eius impoſitio relinquitur arbitrio iudicis, quamuis interdum memoretur, *certam quandam pœnarum ſpeciem, per conſtitutiones & reſponſa prudentum, tali delicto applicatam fuiſſe*, vt in crimine partus abacti, *l. 4. ff. de extr. crim.*

Quid in effectu interfuerit, de eo agit Ant. Matthæi *de Crimin. in proleg. cap. 4. n. 10.* & Huber. *in Prælect. ff. h. t.* quos autores excerpſit Dn. Beyer. *in Poſit. ff. h. t.* Potiora momenta huc recurrunt: Dicunt (1.) in criminibus *ordinariis* fuiſſe *certam formulam* accuſandi, non autem in *extraordinariis.*

(2.) In

in *d. art.* præfinitam, *vſu fori* non ſeruari, ſed ad ſummum, *pœnam fuſtigationis* dictari.

(2.) In *ordinariis quemlibet ex populo* accuſare potuiſſe, non autem in *extraordinariis.*

(3.) In *ordinariis* fuiſſe *certum ordinem iudicialem*, (de quo late Gothofred. *ad l. 8. ff. de publ. iudic.*) non autem in *extraordinariis.*

Verum enim vero cum hodie nec in ciuilibus, nec in criminalibus, ordinariis aut extraordinariis iudiciis, formulas habeamus, (poſito etiam, quod olim in ordinariis tales fuerint,) nec porro hodie quilibet ex populo accuſet, atque ordo iudiciorum publicorum iam in *l. 8. ff. de publ. iudic.* abrogatus fuerit; hinc concluſionem facile fluere exiſtimamus, adlatam diſtinctionem non habere vſum in praxi. Alia huc facientia habet illuſtr. Thomaſius *loc. cit. §. 12. ſeqq.* & noſtram ſententiam confirmat Collegium iuris Argentoratenſe *ad ff. h. t. §. 2. in f.*

LIB.

LIB. XLVII. TIT. XXIII.

De Popularibus Actionibus,

&

LIB. XLIIX. TIT. I.

De Publicis Iudiciis.

DISTINCTIO I.

Inter *Actiones populares* & *Iudicia publica.*

Conueniunt hactenus, *quod quemadmodum in iudicio publico quilibet ex populo agere poteſt*, *ita quoque in actione populari;* ſed differunt *intuitu finis.* Scilicet *in iudicio publico* agitur ad pœnam *fiſco* perſoluendam, aſt vero in *actionibus popularibus* ea pœna *actori* applicatur, v. g. in actione albi corrupti, ſepulchri violati, de deiectis vel effuſis, ſi liber homo ex ea deiectione perierit, &c. vid. Dn. Thomaſ. *loc. alleg.* §.9.

Hodie cum ex mulctis actoribus nihil omnino relinqui ſoleat, ſed fiſcus in qui-

buscunque delictorum & actionum generibus omnia ad ſe rapiat, atque per conſequens actiones populares non ſint in rerum natura amplius, hinc fere inferre auderem, adlatam diſtinctionem apud nos vſum non habere.

LIB. XLIIX. TIT. IV.

Ad L. Iuliam Maieſtatis.

DISTINCTIO I.

Inter Crimen *Perduellionis* & *laſæ Maieſtatis in ſpecie.*

Crimen *perduellionis* vocant, quando aliquid ſuſcipitur a delinquente, *A) quod ſalutem ipſius Imperantis & Reip. directo & neceſſario deſtruit*, quo pertinent inſidiæ vitæ principis ſtructæ, rebellio, ſeditio, tumultus, &c. *v. l. 1. ſeqq. ff. h. t.* Sed crimen *læſæ maieſtatis in ſpecie* dicitur, quando aliquis ex ſubditis ſibi ea propria autoritate adſcribit, *quæ ad regalia*

A) Et quidem a *ſubdito*, non *aduena*, non *vaſallo*, qua tali, ANT. MATTHÆ. *de Crim. Lib. 48. Tit. 2. cap. 1. n. 7. ſqq.*

tia minora pertinent , *& absque ſpeciali conceſſione poſſideri nequeunt*, v. g. ſi quis priuatos carceres, vel alios actus iurisdictionales exercet: ſi quis monetam cudit: ſi quis absque conceſſione principis venationem exercet, &c. vid. Struu. *S. I. C. Exert. 49. th. 20. 21.*

Hæc duo crimina propter pœnæ diuerſitatem probe ſeparanda. Nam crimen *perduellionis* punitur capitaliter, gladio, vel etiam interdum pro ratione circumſtantiarum, diſſectione in quatuor partes: memoria rei poſt mortem eius damnatur, quod fit inſignium ruptione, ædium demolitione, aliisque modis: bona confiſcantur: filii infamia notantur, *B) l. 5. C. h. t.* ſcientia etiam & conatus pœna ordinaria punitur, *d. l. 5.* Bartol. *ad l. 3. ff. h. t.* Bocerus *de crim. maieſt. c. 2. num. 39.* & hoc cri-

B) Quem rigorem tamen *in praxi* haud obſeruari teſtantur MATTHÆ. *d. T. 2. cap. 3. n. 11.* PEREZ. *ad C. h. t. n. 26.* LIMNÆ. *ad A. B. cap. 24. obſeruat. 11.* DN. THOMAS. *ad Strauch. Diſſ. 29. §. 4.* vbi laudat exemplum Imp. Leopoldi præglor. memoriæ, qui filiis perduellium Hungarorum integram famam reliquit.

crimen poſt mortem delinquentis *C)* quoque coercetur, vid. Struu. *d. th. 20.* cuius exemplum in Cromwellio, Protectore quondam Angliæ, habemus, & quantum ad ſcientiæ pœnam attinet, in Thuano, in Gallia propterea pœnæ capitali ſubiecto, de quo Priolus *de reb. Gall. lib. 1.* videri poteſt.

In crimine *læſæ Maieſtatis in ſpecie* pœna arbitraria locum habet communiter, vel, ſi etiam ad capitalem deuenitur, vt propter crimen falſæ monetæ; confiſcatio tamen bonorum, & reliqua enormia, de quibus modo dictum, in totum ceſſant, vid. Carpzou. *Pr. crim. qu. 41. num. 123.* quamuis hic autor duo recenſita crimina non adeo accurate & ſollicite ab inuicem diſtinguat.

LIB.

C) Poſt mortem tamen rei huius criminis, cognitio *quinquennio* finitur. MATTHÆ. *d. T. 2. cap. 3. n. 5.*

LIB. XLIIX. TIT. V.

Ad L. Iuliam De Adulteriis Coercendis.

DISTINCTIO I.

Inter Adulterium *ſimplex* & *duplex*.

Adulterium *duplex*, die Ober-Hurerey, iure Moſaico in vtraque perſona capitaliter punitur, *Leuit. 20. v. 10.* ſed Iuſtinianus fœminas ab hac pœna exemit, eiusque loco ſubſtituit, vt virgis cæſæ in monaſterium detrudantur, ita tamen, vt mariti facultate easdem intra biennium iterum recipiendi, pollere debeant, *Nou. 134. c. 10.* & exinde deſumta *Auth. ſed hodie. C. h. t.* ad quam Iuſtiniani conſtitutionem ſe remiſit Carolus V. *in Conſt. Crim. art. 120.* ibi: ſollen nach Sage unſer Vorfahren und unſer Käyſerlichen Rechten geſtrafft werden. De antiquis pœnis late agit Heigius *P. 2. qu. 29. num. 36. ſeqq.*

In praxi idem adhuc obtinere, vel vbi apud proteſtantes monaſteria non amplius habentur, vxoribus adulteris pœnam fuſtigationis cum perpetua relegatione dictari ſolere

ſolere, aſſerit Carpzou. *Pr. Crim. qu. 53. n. 30. ſeqq.* De plurimis tamen locis contrarium, id eſt, quod tam intuitu fœminarum, quam maſculorum, pœna capitalis obtineat, teſtantur Ioach. a Beuſt. *de Iur. Connub. p. 2. c. 18.* Herman. Vulteius *ad* §. 7. *I. de publ. iudic.* vid. Struu. *Ex. 49. th. 30.* & Stephani *in not. ad Art. 120. Conſt. Crim.* in ſpecie de Electoratu Saxoniæ, Palatinatu, & Haſſia, Heigius *d. qu. 29. num.* 72. 73. de Electoratu Brandenburgico, Brunnem. *proc. inquiſ. cap. 9. num. 30.* Vnde hic ad mores cuiusuis loci reſpiciendum. Sane iure *Lubecenſi* pœna in vtroque coniuge adultero *prima vice* ſaltem eſt *60. marcarum Lubecenſium*, aut, qui tantum in bonis non habet, cippo imponitur: *ſecunda vice* ſimpliciter *cippo imponuntur* adulteri, poſſunt tamen eius loco perpetuam relegationem eligere: *tertia denique vice & cippo imponuntur, & deinde relegantur in perpetuum*, vid. *Ius Lubec. l. 4. Tit. 6. Art. 2.* idem apud *Bauaros*, *Tirolenſes*, *Argentinenſes*, & *Friburgenſes* obtinet, teſtante Heigio *d. p. 2. qu. 29. num. 75.* Meu. *ad ius Lub. lib. 4. tit. 6. art. 2. n. 3.*

Hæc de pœna adulterii duplicis. In *ſimplici* ſubdiſtinguendum. Aut *ſolutus concumbit cum vxore aliena*, & tunc iure communi maſculus ſolutus pœna capitali afficitur, vxor vero adultera itidem, vt antea

tea dictum, punitur, vid. Struu. *Exerc. 49. theſ. 30.* Stephani *ad Conſt. crim. art. 120. num. 5.* Iure Saxonico autem vtrique delinquenti pœna gladii dictatur, Carpz. *Pr. Crim. qu. 54. num. 27. ſeqq.* quod & in nonnullis aliis locis obſeruari ex Beuſtio tradit Struu. *loc. alleg. A)*

Aut vero *maritus cum ſoluta concumbit*, & tunc iure communi marito pœna relegationis & fuſtigationis; fœminæ ſolutæ autem relegationis temporalis, vel carceris etiam dictatur, Struu. *loc. cit.* iure Saxonico Electorali maritus capite plectitur, & fœmina ſoluta, virgis cæſa, in perpetuum relegatur, Carpzou. *qu. 53. num. 36. ſeqq. & qu. 54. num. 37. ſeqq.* vbi *num. 43. ſeqq.* hanc pœnam etiam in Comitatu Schwartzburgenſi & Hennebergenſi, nec non in ditionibus Baronum a Schönburg receptam eſſe teſtatur.

In

A) Iure *Lubecenſi* in adulterio *ſimplici*, perſona *ſoluta*, *prima vice* pane & aqua in carcere cibatur, *ſecunda vice*, cippo imponitur, niſi *60. marcas Lubecenſes ſoluat*, *tertia* vero *vice & cippo imponitur*, & *in perpetuum relegatur*, vid. *Ius Lubec. p. 4. Tit. 6. art. 3. coniugata* punitur eo modo, de quo AVCTOR ſupra *h. diſt.*

In Electoratu Saxoniæ in eo etiam adlatæ diſtinctionis vſus apparet, *B)* quod *remiſſio coniugum in ſimplici quidem adulterio* locum habet, non autem in *duplici*; *C)* extra Electoratum autem hæc differentia ceſſat, & in vtraque adulterii ſpecie, propter coniugis innocentis interceſſionem, mitior pœna dictari ſolet, id. *quæſt. 55. num. 109. ſeqq.*

DIST.

B) Exſerit ſe quoque vſus quod ad *præſcriptionem*, ſimplex quippe adulterium *quinquennio*, duplicatum vero non niſi *vicennio* præſcribitur. CONSTIT. SAXON. *19. part. 4.* DECIS. SAXON. *84.* Quam quidem præſcriptionem capias, velim, quod ad *pœnam*, non etiam quod ad *intereſſe partis*, & *actionem ciuilem.* Vnde ob adulterium, ab vxore commiſſum, actio ad diuortium, & lucrandam dotem, 30 demum annorum ſpatio excluditur. B. STRYK. *de act. forenſ. inueſtig. Sect. 3. Membr. 3. ax. 5. n. 26.*

C) Quod temperat DECIS. SAXON. *82.* niſi maritus cum vxore alterius *ab alio*, ſeu iuuene, ſeu marito, *prius adulterata*, concumbat, quo caſu *adhuc remiſſio* ac interceſſio coniugis innocentis *locum habet*, Add. PHILIPP. *ad d. Dec. 82. Obſeruat. 3. n. 8. ſeqq.*

DISTINCTIO II.

Inter *Stuprum* & *Fornicationem*.

Stuprum cum fœmina (virgine vel vidua) *honeſte viuente* committitur, *fornicatio* autem cum tali, quæ *paſſim ſe proſtituit*, *v. §. 4. I. de publ. iud. l. 43. pr. §. 1. ſeqq. ff. de rit. nupt.* & cui adeo nomen *meretricis* tribuitur in legibus.

Hæc duo neutiquam ſunt confundenda, cum alia longe in effectu fornicationis, quam ſtupri, ſit ratio. Scilicet propter *ſtuprum* commiſſum ſtuprator eo adſtringitur, vt vel in matrimonium ducat perſonam ſtupratam, vel eandem doter: at in *fornicatione*, & ſi quis cum meretrice concubuit, hæc prorſus ceſſant, Carpzou. *qu. 68. per tot. in ſpecie num. 76. ſeqq.* vbi tamen *num. 118.* notat, *ratione alimentorum*, *infanti præſtandorum*, nihil intereſſe, vtrum quis cum perſona honeſta, an vero cum meretrice concubuerit.

Ratione *pœnæ publicæ* hoc diſcriminis intercedit inter ſtuprum & fornicationem, quod propter *ſtuprum* tam maſculo, quam fœminæ pœna carceris, (vel etiam pecuniaria in pleriſque locis) dictari ſoleat, quod eodem modo in *fornicatione* quoad maſculum obtinet; aſt meretrici, *ſi clam exercuit ar-*

tes

tes ſuas, plerumque pœna carceris, aut alia arbitraria; *ſi palam*, pœna relegationis dictatur, vid. id. *qu. 69. & 70.*

Filia, *ſtuprum paſſa*, propterea nondum poteſt exheredari, bene tamen, ſi *meretricio more* viuere incipiat ante annum 25. *v. Nou. 115. c. 3. §. 11. ibique* Gothofred. *in not.* Weſenb. *in parat. ff. de lib. & poſth. hered. inſt. num. 5.* Carpzou. *qu. 69. num. 65. ſeqq.* ineptum vero eſt, quod dicit gloſſa *in c. vidua. diſt. 34. verb. multorum, meretricem eam demum eſſe, quæ plures admiſerit, quam 23000. homines.*

Liberi, ex *ſtupro* procreati, vocantur *naturales*, *D)* & legitimari poſſunt; qui autem *ex fornicatione*, *ſpurii* appellantur, & legitimari nequeunt, niſi accedat diſpenſatio principis. Ita de iure Romano; ſed hodie etiam ſpurios *legitimari*, *E)* æque

D) De *Iure Romano* libb. *naturales* ſeu *nothi* dicuntur, qui *ex concubina* ſuſcepti, qui vero ex *ſtupro*, *fornicatione*, *adulterio*, *inceſtu*, procreati, *vulgo concepti* ſeu *ſpurii* vocantur, vid. *L. 23. ff. de Stat. Hom.* CVIAC. *Obſeruat. Lib. 5. cap. 6. Moribus* libb. ex *ſtupro* natos, iure *naturalium* haberi, facile largior. Conf. STRVV. *S. I. C. Exerc. 30. th. 89.* & *Exerc. 38. th. 23.*

E) Vid. Supr. *Lib. 1. Tit. 6. Diſt. 4.*

æque vt naturales, tradunt DD. vid. Struu. *Exerc. 3. theſ. 47.* Stephani *ad Nou. 118. num. 32.*

Meretrix a vicinis ex vicinia expelli poteſt, Menoch. *l. 2. A. I. Q. caſ. 78. num. 11. & caſ. 228. num. 14.* Brunnemann. *ad l. 1. §. 2. C. de SS. Trinit.* Dion. Gothofred. *ad l. 4. C. de ſpectac. & ſcen. & Lenon.* non autem perſona, *ſtuprum paſſa.* De iure communi in *meretricem* non committitur ſtuprum violentum, bene tamen in defloratam; quod tamen de iure Saxonico non attenditur. Carpz. *qu. 75. n. 52. ſeqq.*

DISTINCTIO III.

Inter Stuprum *violentum* & *voluntarium.*

Prius gladio punitur in maſculo, *poſterius* pœna arbitraria, prout ad *Diſt. præced.* dictum. In *voluntario* etiam perſona deflorata punitur, prout ibidem ad *Diſt. eand.* dictum, ſed in *violento* non niſi coronam virginitatis, den Jungfrauen Krantz, tanquam ſignum corporalis virginitatis, amplius geſtare non debet, *F)* vid. Carpzou. *q. 75.*

F) Vnde non obſtat *C. 6. Cauſſ. 32. Q. 5.* in quo dicitur, *quod pudicitia a violento ſtu-*

qu. 75. quamuis hodie hoc ſignum apud pleraſque virgines in deſuetudinem abierit.

DISTINCTIO IV.

Inter Sodomiam *cum hominibus* & cum *beſtiis* commiſſam.

Ture Carolino nulla eſt differentia, vtrumque enim delictum pœna ignis coercetur, *Conſt. Crim. art.* 116. Aſt iure Saxonico, in *priori* caſu pœna gladii ſaltem obtinet, Carpzou. *qu.* 76. *num.* 19. *ſeqq.*

pratore eripi non poſſit, Reſp. ſermonem ibi eſſe de *virginitate animi*, a qua ad virginitatem corporis N. V. C. Diſſent. quidem AVCTOR *Doctr. Pand. h. t. ſ.* 12. violenter ſtupratam, niſi impraegnatio adceſſerit, ſertum virginale portare poſſe adſerens, ſed ex ratione minus idonea, *quod adflictae noua adflictio addenda haud ſit.*

Ad L. Iuliam de Vi publica & priuata.

DISTINCTIO I.

Inter Vim *publicam & priuatam.*

P*ublica* ita vocatur, vel ratione *perſonæ inferentis: A)* vel ratione *patientis: B)* vel *modi: C)* vel *loci; D) priuata* autem, vbi omnes eiusmodi circumſtantiæ deſunt, vid. Lauterbach. *Comp. iur. h. tit.*

Vtrius-

A) Si perſona *publica* poteſtate ſua abutitur, ac vim infert.
B) Si perſonæ *publicæ* vis infertur.
C) Si *cum armis* vis infertur.
D) Si in *loco priuilegiatô* vis infertur. Hodie *a potiori* vis *publica* dicitur, quæ cum armis infertur. vid. ANT. MATTHÆ *de Crimin. Lib. 48. Tit. 4. cap. 1. n. 2.* DIBER. DECIAN. *Tract. Criminal. Lib. 8. cap. 1. n. 7.* CARPZOV. *Pract. Crimin. Part. 1. Q. 40. n. 5.*

Vtriusque pœna eſt arbitraria, *E*) carceris, relegationis, &c. ita tamen, vt propter vim publicam ea communiter exaſperari ſoleat. Sic v. g. illi, qui in loco publico aliquem percutit, vel itinera obſidet, (Germani vocant die Vorwegelagerung) manus amputari ſolet, atque in aliis caſibus ſæpe fuſtigatio cum perpetua relegatione dictari conſueuit, de quo fuſe agit Carpzou. *quæſt.* 40.

DISTINCTIO II.

Inter *Vim publicam* & *Crimen fractæ pacis publicæ.*

De *priori* modo dictum. *Poſterius* autem banno Imperiali coercetur, &, ſi deprehenditur bannitus, pœna gladii afficitur, *v. Conſt. Crim. art.* 128. & 129. *ibique* Stephani *in comment.* Ad crimen fractæ pacis publicæ autem requiritur præcipue. (1) vt fiat *cum armis*, & (2) *coadunatis hominibus*, ita vt ſpeciem belli alicuius priuati præ ſe ferat. Numerus perſonarum tamen non eſt determinatus, ſed quemadmodum in iuſtis bellis exercitus inter-

E) Si ſcilicet in *aliud crimen*, e. g. latrocinium rapinam, *non incidat.* CARPZ. *Pract. Crim. part.* 1. *Q.* 40. *n.* 7.

interdum maior eſt, interdum minor; ita hic quoque interdum plures, interdum pauciores ſocii adhibentur, vid. Carpzou, *qu. 35.*

LIB. XLIIX. TIT. IIX.

Ad L. Corneliam de Sicariis.

DISTINCTIO I.

Inter Homicidium *doloſum*, *culpoſum* & *caſuale*. *A*)

Doloſum pœna gladii coercetur: *Culpoſum* pœna extraordinaria, fuſtigationis, vel relegationis, *B*) pro gradu

A) Adde: *Neceſſarium*, & *Iuſtitiæ*, quum delinquens publica auctoritate vltimo ſupplicio adficitur.

B) *Carceris*, *mulctæ pecuniariæ.* Vbi notes, velim, quod *in Saxonia* reus, ſi pœna *corporis adflictiua* non adficitur, ſemper debeat exſoluere *Werigeldum*, de quo vid. CARPZOV. *Pract. Crim. part. 1. Q.* 27.

gradu admiſſæ culpæ; *Caſuale* plane non punitur, C) Carpz. *Pr. cr. qu.* 1. & 27. Brunnem. *Proc. inquiſ. cap. 9. num. 54. ſeq.*

DISTINCTIO II.
Inter Homicidium *ſimplex & qualificatum.*

S*implex*, quod in rixa, *ſubito oriente*, committitur, pœna gladii punitur, vt modo dictum; ſed in *qualificato* pœna exaſperatur. Idque vel ideo, *quia duplex vinculum violatum*, vt in crimine parricidii, vbi pœna culei: vel *quia aliud delictum concurrit*, vt in latrocinio animus occidendi & lucrifaciendi, vbi pœna rotæ: vel *quia longa præceſſit deliberatio & inſidiæ*, ex quibus maior malitia colligitur, vt in crimine veneficii, & aſſaſſinii, vbi itidem pœna rotæ locum inuenit, vid. Carpz. *qu. 8. 19. 22. &c.*

LIB.

C) Idem de *neceſſario* dicendum, ſi moderamen inculpatæ tutelæ *exacte* obſeruatum, ſin ſecus, *arbitrariæ* pœnæ locus eſt. CARPZ. *d. Tr. Q. 28.* Et hoc caſu, ſi reus *pœnam corporis adflictiuam* non patitur, *in Saxonia* ſimul *ad ſolutionem Werigeldi* condemnatur. CARPZ. *d. Tr. Q. 29. n. 12.*

De L. Pompeia de Parricidiis.

DISTINCTIO I.

Inter Parricidium *proprium* & *improprium*.

P*roprium*, quod in linea recta ab aſcendentibus vel deſcendentibus committitur, pœna culei coercetur, ſiue ſuffocatione in aquis, vbi iuxta *l. vn. C. de his, qui parent. vel libb. occid. canis, gallus gallinaceus, vipera & ſimia*, culeo ſimul includuntur. Hodie, extra Saxoniam, hæc animalia vbique fere omittuntur, vid. Brunn. *Proc. inquiſ. cap. 9. num. 70.* In Saxonia tamen peculiari ſacculo includuntur, loco ſimiæ felis ſubſtituitur, &, ſi viuus ſerpens haberi nequeat, pictus adhibetur, culeus etiam non amplius ex corio, vt olim, ſed ex linteo conficitur, Carpz. *qu. 8. n. 19. ſeq.*

Si aqua publica deficiat, in Saxonia rota ſubſtituitur, id. *loc. cit. n. 22.* extra Saxoniam gladius, Brunnemann. *d. cap. 9. n. 70.*

Improprium vocant, quod committitur, proximos collaterales vsque ad quartum gradum, *A)* item proximos affines, coniuges, & benefactores, v. gr. patronos, *B)* occidendo. Pœna hic ſaltem ea eſt, quæ in homicidio alias locum inuenit, gladii ſcilicet, niſi quod in crimine vxoricidii & mariticidii, in Saxonia pœnam culei vſitatam eſſe teſtetur Carpz. *quæſt. 12.* Extra Saxoniam pœnam gladii obtinere, dicit Brunnem. *d. c. 9. num. 73.* niſi delictum ſit diu coctum & deliberatum, vbi pœnam rotæ dictari ſolere aſſerit.

In *art. 137. Conſt. Crim.* additur quidem, quod in hoc parricidio improprio reus ferro candenti ſit adurendus, vel trahæ alligatus ad ſupplicium rapiendus, & cadauer rotæ imponendum; ſed hoc in praxi non obſeruari, *C)* niſi forſan ſingulares inſidiæ præ-

A) In *Electoratu Saxoniæ* parricidium improprium ſaltem in eiusmodi conſanguineos & adfines committitur, *quos inter, ob prohibitionem L. diuinæ, matrimonium ſubſiſtere nequit.* CONSTIT. SAXON. *3. part. 4.*

B) h. e. ſi libertus patronum patronamue occiderat. *l. 1. ff. h. t.*

C) Contrariam ſententiam recte amplexus eſt B. AVCTOR tum in *not. ad cit. art.* 137.

præceſſerint, aut ſi parricidium proprium, teſtatur illuſtr. Stryk. *in not. ad Lauterbach. h. t. verb. ferro candenti.* add. Brunnem. *d. c. 9. num. 70.*

LIB. XLIIX. TIT. XVI.

Ad SCtum Turpilianum, & de Abolitionibus Criminum.

DISTINCTIO I.

Inter *Calumniatores*, *Præuaricatores*, & *Tergiuerſatores*.

Calumniator hic dicitur, qui dolo malo alterum innocentem de crimine accuſat. *l. 1. ſ. 1. ff. h. t.* *Præuaricator*, qui vera crimina abſcondit, ſeu eas probationes doloſe omittit, quibus conuincere potuiſſet accuſatum. *Tergiuerſator*, quia cœpta ſemel accuſatione plane iterum deſi-

137. *Conſt. Crim.* tum in *Doctrin. Pand. h. t. §. 5.*

deſiſtit, ab accuſato ad hoc inductus, *d. l. 1. §. 1. h. t. l. 6. pr. ff. eod.*

Calumniatoribus olim ex lege Remmia litera K. in fronte inurebatur, Gothofred. *ad l. 1. ſ. 2. h. t.* neque enim tunc calumnia, ſed Kalumnia ſcribebant, iure codicis hæc inuſtio abrogata fuit, licet ex erronea cauſa, *A)* inque eius locum pœna talionis ſubſtituta, *l. 17. C. de pœn. l. fin. C. de accuſat.*

Præuaricatores itidem eidem pœnæ ſubiiciuntur, qua afficiendus fuiſſet accuſatus, ſi per præuaricationem pœnam non euaſiſſet, *l. 6. ff. de præuaricat.*

Tergiuerſatores, ſi abolitionem non impetrarunt, quinque libris auri puniuntur, *l. 3. ſ. 3. ff. de præuaricat.* & accuſare amplius non poſſunt. *l. 2. ff. h.*

Vides,

A) Ratio hæc in *d. L. 17.* adfertur, *quod facies, quæ ad ſimilitudinem pulchritudinis cœleſtis eſt figurata, minime maculari debeat;* quæ quidem perplacet BRVNNEMANNO ad *d. l.* ſed rectius, ni fallor, diſplicet ANT. MATTHÆ. *de Crimin. Lib. 48. Tit. 18. n. 11.* quum ſimilitudo cœleſtis pulchritudinis non in *corpore*, ſed in *anima* reſideat. Et CONSTANTINVM humani quid heic paſſum eſſe, cum RITTERSHVSIO recte adfirmat DÖPLER. *Theatr. Pœnar. part. 1. cap. 41. ſ. 28. p. m. 914.*

Vides, diſtinctionem præſentem exinde originem ſuam habere, quod apud Romanos, in criminibus publicis, quilibet ex populo accuſationem inſtituere potuerit: vnde cum apud nos illæ accuſationes fieri non ſoleant, dictam diſtinctionem vtilitatem aliquam in praxi non præſtare, aſſerere nullus dubito.

Sunt quidem apud nos adhuc in vſu *calumniatorum* & *præuaricatorum* vocabula, ſed non in eo ſignificatu, quem modo adduximus. *Tergiuerſatorum* nomen vero hodie plane non auditur. Scilicet illi quoque vocantur *calumniatores*, qui vel *repugnante conſcientia litigant*, vnde iuramentum calumniæ deferri ſolet, vel *qui ob calumnioſam litem* (ciuilem) *pecuniam acceperunt*, de quibus agitur ſub *tit. de calumniatoribus*, vid. Brunnemann. *Rep. Paratitl. Weſenbec. tit. de Calumniator. qu.* 3. Per *præuaricatores* autem eos aduocatos, vel procuratores hodie intelligimus, qui cum parte aduerſa colludunt, & ſecreta cauſæ reuelant, vid. Lauterbach. *ad tit. de præuaricat.* ſed prout dixi, illi ſignificatus non ſunt huius loci.

DIST.

DISTINCTIO II.

Inter Abolitionem *generalem* & *ſpecialem*. B.)

Generalis ſiue *publica* fiebat apud Romanos non per iudicem, ſed ex legis diſpoſitione, vt ſcilicet feriis, e. g, paſchalibus, poſt motam ab aliquo accuſationem, ſuperuenientibus, dicta accuſatio ſuſpenderetur, & feriis finitis, in arbitrio accuſatoris eſſet, vtrum in accuſando pergere velit,

B) Addenda *tertia* ſpecies: *legalis* ſeu *legitima*, quæ conceditur *a Lege*, adcuſatore vel adcuſato *mortuo*, aliaue iuſta de cauſſa adcuſationem proſequi impedito, *l. 10. pr. l. 15. §. 3. ff. h. t.* Reo mortuo, adcuſatio *omnimodò* exſpirat, niſi tale crimen commiſſum, cuius proſequutio etiam *aduerſus heredes* durat, e. g. crimen *maieſtatis*, *d. l. 15. §. 3. h. t.* Adcuſatore mortuo, adcuſatio *ſecundum quid* exſpirat, nimirum reſpectu eius, qui adcuſationem mouit; nil tamen obſtat, quo minus reus intra *30 dies vtiles*, a die, quo adcuſator deceſſit, computandos, ab alio *de nouo* adcuſari poſſit. *l. 3. §. f. ff. de Adcuſat. & Inſcript.* TIBER. DECIAN. *Tract. Crimin. lib. 3. cap. 35. n. 98. ſeq.*

velit, annon. Idem obtinebat ob ſuperuenientem alium diem inſignem, vel publicam gratulationem, v. g. ob natalem filii Principis, vel ob rem proſpere geſtam, &c. *v. l. 3. C. de epiſcop. aud. l. 8. 9. & 12. ff. b. t.* & omnino Gothofred. *ad d. l. 12. ff. b. t.* Et hic accuſator deſiſtens, quamuis iuſtam deſiſtendi cauſam probare non poſſet, in pœnam SC. Turpiliani, in tergiuerſatores ſtatutam, (*v. Diſt. præced.*) non incidebat.

E contrario abolitio *ſpecialis* ſiue *priuata* a iudice, coram quo accuſatio mota erat, impetrabatur, ſed hic ad euitandam pœnam SCti, iuſta cauſa probanda erat, pro qua re putabatur, ſi quis per errorem, temeritatem, ſimplicitatem, vel calorem, dum ſuam ſuorumque iniuriam vindicare intendebat, ad accuſationem ſe proſiliiſſe dicebat, *l. 2. C. de abolit. l. 5. & 6. C. ad SCt. Turp.* & fiebat tunc abolitio, inſcio etiam accuſato. Exceptio erat, ſi vel carceres, vel verbera, vel catenas iam ſuſtinuerat, tunc enim ipſius quoque conſenſus accedere debebat, *l. 3. C. de abolit.*

Vides iterum, diſtinctionis vſum intuitu eorum, *qui in publicis iudiciis alios accuſant*, ſe vnice exſerere, at vero notum eſt, tales accuſatores apud nos vel plane non dari, vel admodum raros ad minimum eſſe, vnde prono alueo etiam profluit, diſtinctio-

nem

nem hodie in praxi nullius, vel exiguæ eſſe vtilitatis. Equidem vocabulum *abolitionis* haud raro adhuc hodie auditur, quando ſcilicet inquiſiti pro caſſatione proceſſus inquiſitorii, aduerſus ipſos moti, principi ſupplicare ſolent; ſed prout quilibet videt, hæc abolitio (quæ oblata certa pecuniæ quantitate fieri ſolet) toto cœlo ab abolitione Romanorum differt, & eſt potius aggratiatio, C) quam abolitio. Scilicet apud Romanos abolitionem petebat *accuſator*, hodie autem *accuſatus*, ſiue potius *inquiſitus*, conf. Struu. *Ex. 49. th. 89.*

C) In *ſtrictiori* ſignificatu *abolitio* illa *hodierna* vtique ab *adgratiatione* differt. *Hæc* demum fit *poſt ſententiam definitiuam*, reo iam tum *confeſſo*, vel *conuicto*, *illa* vero, vel reo *nondum conuicto*, ſed *indiciis ſaltem grauato*, vel conuicto quidem, ſed *nondum condemnato*, atque adeo *ante ſententiam definitiuam* conceditur. Breuiter: *Abolitio eſt caſſatio proceſſus criminalis, ante ſententiam definitiuam facta.* Vid. B. STRYK. *diſp. de Abolition. Principis, cap. 1. n. 16. iunct. cap. 3. n. 3.*

LIB. XLIIX. TIT. XIIX.

De Quæſtionibus.

NOVA DISTINCTIO.

Inter *Territionem* (eamque vel verbalem, vel realem) & *Torturam*.

Verbalis territio in nudis minis de torquendo ſubſiſtit, ſine vlla carnificis adprehenſione, vtut hic coram ſtatui, & vna cum inſtrumentis torturæ oſtendi ſoleat. *Realis*, quum præter minas, carnifex inquiſitum adprehendit, veſtibus denudat, ad ſcalam ducit, ac forcipes digitorum (Daumenſtöcke) adfigit, iisque pollices comprimit, quin &, ſi qualitas criminis & conditio perſonæ id vrgeat, manus inquiſiti funibus ligare incipit, ac paululum conſtringit. (In terris *Sceptro Boruſſico* ſubiectis territio *realis* in eo ſe exſerit, daß der Scharfrichter den Inquiſiten würcklich angreiffet, entkleidet, zur Leiter führet, endlich auch die Schnüre, Daum- und Bein-Schrauben anleget, aber nicht zuſchnüret und zuſchraubet. R. Pr. *Criminal*-Ordn. *cap. 9. §. 3.*) Quæ territionis ſpecies quamuis pro-

proxime ad torturam accedat, reuera tamen ab eadem diſtat, quum illa corporis cruciatum & dolorem *ingentem* inuoluat. CARPZOV. *Pract. Crim. p. 3. Q. 117. n. 47. ſeqq.* Vſus diſtinctionis ſe exſerit 1) quod ad *conditionem perſonarum.* Etſi enim impuberes, ſenes decrepiti, torqueri nequeunt, poſſunt tamen terreri, etiam *realiter*, ſi ſcilicet impuberes ſint pubertati proximi, CARPZ. *d. p. 3. Q. 118. n. 42.* ZANGER. *de Tortur. cap. 1. n. 40.* 2) quod ad *qualitatem criminis.* Si enim eiusmodi delicti arguatur inquiſitus, cui ne quidem pœna *corporalis* imminet, ſed relegationis, carceris, vel mulcta pecuniaria, locum non habet tortura, bene vero territio, etiam realis; quam ſententiam tamen dubio non vacare, euici in *Not.* ad AVCTOR. Einleit. zum Peinl. Proc. *cap. 9. §. 4. lit. C.* 3) quod ad *indicia.* Hæc enim ſi non ſatis prægnantia & vehementia ſint, ceſſat quidem tortura, non vero territio. CARPZOV. *d. Q. 117. n. 53. & Q. 119. n. 52.*

NOVA DISTINCTIO.
Inter Crimina *atrocia* & *atrociſſima.*

Vſus huius diſtinctionis conſpicuus eſt in quæſtione de *repetitione torturæ.* In *illis*

illis quippe reus *bis*, in *his* vero *ter* ſub tormentis interrogari poteſt, ſi delictum in tortura quidem *fateatur*, ſed poſtea illam confeſſionem *reuocet*, nec vrgentiſſimas huius reuocationis rationes adferre poſſit. CONSTIT. CRIMIN. *art.* 57. CARPZOV. *Pract. Crim. part.* 3. *Q.* 125 *n.* 47. *ſeqq.* Dicuntur autem crimina *atrocia* ſecundum CARPZOVIVM *d. l. n.* 54. *ſeqq.* pro quibus *ſimpliciter imponitur pœna mortis, naturalis, vel ciuilis* e. g. Furtum, Homicidium, Blasphemia, Sodomia cum hominibus commiſſa, Adulterium, Bigamia, Stuprum violentum, cetera; *atrociſſima* vero, *pro quibus pœna grauior, quam ſimplicis mortis*, imponitur, vel, quod ipſum *genus mortis exaſperetur*, e. g. ſi pœna culei, rotæ, ignis, diſſectionis in fruſtra, dictetur, vel, ſi vltra pœnam mortis ordinariam, *aliæ addantur qualitates*, e. g. quod reus trahæ alligatus ad locum ſupplicii raptetur, vel, quod cadauer rotæ imponatur. Huc ſpectant Veneficium, Latrocinium, Aſſaſſinium, Parricidium, Infanticidium, Sodomia cum brutis commiſſa, Robbaria, Perduellio, cetera.

LIB. XLIIX. TIT. XIX.

De Pœnis.

DISTINCTIO I.

Inter Pœnam *conuentionalem & legalem.*

C*onuentionalis*, (quo refero den Reukauff, itam pœnam dupli propter euictionem, Romanis vſitatam) *etiam ab heredibus exigi poteſt*, *l. 47. ff. de act. emt.* quod in pœna *legali* ſecus ſe habet.

DISTINCTIO II.

Inter Pœnam *ciuilem & criminalem.*

Vſus hic eſt, quod pœnam *criminalem*, quæ ad publicam ſatisfactionem pertinet, iudex *ex officio imponere poſſit*, quamuis nullus actor exiſtat: hoc aliter ſe habet in pœna *ciuili*, v. g. in æſtimatione iniuriarum, pœna dupli, quadrupli &c. apud Romanos vſitata, huius enim intuitu officium iudicis mercenarium eſt. Adde, quod pœna

ciuilis *remitti poſſit inuito iudice;* criminalis non item.

NB. In Saxonia etiam *ciuiles* pœnæ vocantur nonnullæ, licet ad publicum intereſſe tendant, quarum præcipue hæ tres ſunt: *pœna pecuniaria*, *carcer*, & *relegatio*, qui ſignificatus adeo cum priori illo, qui iuris ciuilis eſt, confundi non debet, quia has pœnas iudex etiam ex officio nobili infligere poteſt, vid. Carpzou. *prax. crim. qu. 130.* Sed manet tamen & apud Saxones vſus diſtinctionis eo caſu. Scilicet, ſi reo pœna eiusmodi *ciuilis* infligitur, tunc ille expenſas inquiſitionis reſtituere tenetur, non vero, ſi ipſa pœna *criminalis* dictitatur, *A)* Carpzou. *Pr. crim. qu. 138.* Sed extra Saxoniam vtroque caſu merito reus ad refuſionem expenſarum adſtringitur, prout recte

A) Hoc in *Electoratu Saxoniæ* hodie *aliter* ſeſe habet, per *Edict. Reg.* wegen geſchwinder *Exequirung* der Diebe und Räuber, *de d. 27. Iul. 1719.* vi cuius delinquens, eiusue heres, ſiue corporalis, ſiue capitalis pœna dictata, ad ſumtus inquiſitionis refundendos ſemper tenetur, ſolo caſu *ſuſceptæ*, *ab heredibus occiſi*, *adcuſationis*, excepto. Vid. DN. MENCEEN. *Tractat. Synopt. proc. Tit. 36. §. 11.*

recte monet Brunnem. *Proc. inquiſ. c. 9. num. 3.*

DISTINCTIO III.

Inter Pœnam *capitalem & non capitalem.*

Pœna *capitalis* in iure ciuili vocatur, quæ vel naturalem, vel ciuilem vitam, v. g. libertatem, aut ciuitatem, reo condemnato adimit, *ſ. 1. I. de publ. iud.* Verum iure Saxonico amiſſio vitæ ciuilis non attenditur, ſed illa ſaltem pro capitali pœna reputatur, quæ vita naturali accuſatum priuat, Carpz. *Pr. crim. qu. 129. num. 1. 2. 3.* Vnde de iure ciuili fuſtigatio primum locum inter pœnas *non capitales* occupat, ſed de iure Saxonico etiam condemnatio ad opus publicum huc pertinet, Id. *d. l. n. 13.* vid. Lauterbach. *h. tit.*

Vſus in eo quæri poteſt. Magiſtratus inferior, merum imperium habens, pœnas *non capitales*, v. g. fuſtigationem, relegationem, *B)* &c. remittere, & in mitiores, v. g.

B) In *Electoratu Saxoniæ* quoties pœna *fuſtigationis*, aut *perpetuæ relegationis* in pecuniariam conuertitur, toties hæc *piis cauſſis* adplicanda: quoties autem relegatio

v. g. mulctam, conuertere valet, *C)* at in *capitalibus* ne minimum quidem ipſi hac parte arbitrium relictum eſt, ſed hic vnice ad Principem confugere & eiusdem gratiam implorare oportet, Carpzou. *Pr. cr. qu. 150.*

LIB.

tio *temporaria*, aut *carceris pœna* in pecuniariam conuertitur, toties hæc *magiſtratui adquiritur*, vtrinque tamen antegreſſo Collegii cuiusdam iuridici conſilio. RESOLVT. GRAVAM. *de anno 1661. Tit.* Von *Juſtitien*-Sachen *ſ. 59.* Add. DN. de BERGER. *Elect. Ipr. Crim. cap. 1. ſ. 11.*

C) In terris *Sceptro Boruſſico* ſubiectis magiſtratus *inferior* neque *fuſtigationis* neque *relegationis* pœnam in pecuniariam conuertere poteſt, ſed eiusmodi immutatio *immediate* a Rege eſt impetranda. Königl. Pr. *Criminal*-Ordn. *cap. XI. ſ. 2.*

De Sententiam Paſſis & Reſtitutis.

DISTINCTIO I.

Inter Reſtitutionem *iuſtitiæ & gratiæ*.

Hæc diſtinctio cum vſibus ſuis iam ſupra *lib. 4. Tit. I.* explicata eſt. In præſenti hoc ſaltem addimus, quod quando princeps pœnam ſolummodo remittit, condemnatum autem in priſtina iura, dignitates, honores, non reſtituit, reſtitutio tunc *minus plena* vocari ſoleat; quod ſi vero hæc omnia recipit reus, *plenæ* nomen conſequitur, vid. Lauterbach. *comp. iur. h. t.* Plena in dubio non præſumitur, *A)* ſed minus plena ſaltem.

LIB.

A) Quia Reſcripta Principum intelligenda ſunt *ſaluo iure tertio iam quæſito.* Add. ZIEGLER. *de Iur. Maieſt. lib. 1. cap. 9. §. 3.*

De Appellationibus Et Relationibus.

DISTINCTIO I.

Inter Apoſtolos *dimiſſorios*, *reuerentiales*, *refutatorios*, *teſtimoniales*, & *conuentionales*.

T*eſtimoniales* a notario dantur, quando coram ipſo & teſtibus appellatio rite eſt interpoſita, & hi, prout res ipſa monſtrat, *intra decendium* petuntur, quia appellatio intra decendium coram notario interponi debet. Hi vbique fere ſunt in vſu. *A)*

Con-

A) In *Marchia Brandenburgica* eiusmodi Apoſtoli non ſunt in vſu, quoniam ibi adpellatio *coram Notario* & *teſtibus*, penitus eſt *prohibita*. vid. Cammer-Ger. Ordn. *Tit.* 12. §. 7. Quæ prohibitio ad *reliquas prouincias*, Sceptro Boruſſico ſubiectas, profertur in der Allgem. Ordn. von Verbeſſ. des *Juſtiz*-Weſens *§.* 49.

Conuentionales pars parti dat, & in alterius appellationem ſe conſentire declarat. Hi apud nos plane in deſuetudinem abierunt.

Dimiſſorii ſunt, quando iudex a quo iniuſtitiam ſententiæ (a iudice extraneo forſan conceptæ) ipſe agnoſcit, & ſic *appellationem iuſtam eſſe perſuaſus eſt.*

Refutatorii e contrario, quando iudex *appellationem iniuſtam eſſe credit*, & proinde argumenta, quæ forſan appellans adducit, vel adducere poteſt, breuiter refutat.

Tandem vero *reuerentiales*, quando Iudex *de Iuſtitia appellationis dubitat*, *B)* vid. Brunn. *Proc. ciu. c. 28. num. 57.* Hæ tres ſpecies poſteriores intra 30 dies *C)* a die publicationis ſententiæ computandos, peti debent, *l. vn. ff. de libell. dimiſſ.* Omnes ſunt in vſu. Comparatiue tamen refutatorii & reuerentiales frequentius adhibentur, quam dimiſſorii.

DIST.

B) Clarius: Quando Iudex inferior teſtatur, adpellationem *in honorem ſuperioris* eſſe admiſſam.

C) Hodie plerumque in *ipſa adpellationis Schedula* apoſtoli petuntur. Vid. AVCTOR. Einleit. zum *Ciuil*-Proc. *cap. 34. §. 14.*

DISTINCTIO II.

Inter *Interpoſitionem*, *Introductionem*, & *Iuſtificationem* Appellationis.

I*nterpoſitio* appellationis intra *decem dies coram iudice inferiore* fieri debet, atque hoc fatale nec iudicis decreto, nec partium conuentione, prorogari poteſt, *v. ſupra tit. de feriis Diſt. V.*

Introductio expeditur *coram iudice ſuperiore* per oblationem apoſtolorum, petitionem citationis aduerſæ partis, compulſorialium & inhibitorialium, quod intra *ſex menſes D)* fieri debet, *Ordin. camer p. 2. tit. 30. ſ.* Würde aber &c. ſed tamen hoc fatale prorogationem admittit. In tribunali Wiſmarienſi terminus eſt trium menſium, Brunnemann. *Proc. ciu. c. 28. num. 67.* In Saxonia *E)* vnius, Fibig. *in Proceſſ. c. 2. ſ. 21.*

D) Si ſcilicet ad *Cameram imp.* adpellatur. Hodie vero per *R. I. de anno 1654. ſ. 67.* intra *quatuor* menſes introductio fieri debet.

E) Hodie in *Electoratu Saxoniæ Fatale introducendæ adpellationis* penitus eſt *abrogatum*, datiſque Apoſtolis, tam reue-

V 5 ren-

21. *num.4. ibique* Suendendörffer. *in not.* alibi aliter.

Iuſtificatio fit coram iudice ſuperiore per oblationem grauaminum, *F*) eorumque deductionem & probationem. Hæc olim intra *annum*, & ad ſummum, intra *biennium* fieri debebat, *v. l. f. §. f. C. de temp. appellat.* Brun-

rentialibus, quam refutatoriis, illico Acta ad Iudicem ſuperiorem transmittenda, qui, ſi adpellationi deferat, ad illius Iuſtificationem, *ex officio*, terminum, integrum ſpatium Saxonicum continentem, præfigere tenetur. ORD. PROC. RECOGN. *Tit. 35. ſ. 9.*

F) Quum vero plerisque in locis *grauamina* in ipſa Adpellationis ſchedula exprimenda ſint, vid. *Not.* ſupra *Lib. 42. Tit. 1. ad Diſtinct. 1. Lit. E.* clarius *Iuſtificatio adpellationis* deſcribitur, quod in *deductione* tam *formalium*, quam *materialium* adpellationis interpoſitæ, conſiſtat. *Illa* fit, quum vel *generatim* per relationem ad acta, vel *ſpeciatim* per ſingulorum fatalium expreſſionem, demonſtratur, omnia fatalia rite eſſe obſeruata. *Hæc* in recenſione grauaminum, eorumque *pleniori* diſcuſſione conſiſtit, cui *petitum* de ſententia, decreto, vel procedendi modo *reformando*, adnectitur.

Brunnemann. *l. c. n. 89.* ſed hodie vbique & in camera, & in prouinciis ſtatuum, lites, & inter eas in ſpecie appellationes, ſemper ſpirant & non exſpirant.

LIB. XLIX. TIT. XV.

De Captiuis, Et Poſtliminio, Et Redemtis Ab Hoſtibus.

DISTINCTIO I.

Inter Fictionem *L. Corneliæ & Iuris Poſtliminii.*

Ciuis Romanus, per aduerſam fortunam in captiuitatem detruſus, vel *moriebatur apud hoſtes*, vel *ex captiuitate feliciter redibat. Priori* caſu locum habebat fictio *L. Corneliæ*, qua fingebatur, *captiuum eo ſtatim momento, quo capiebatur, mortuum fuiſſe, l. 12. ff. qui teſtam. fac. poſſ. poſteriori* ad fictionem iuris poſtliminii recurrebant, *quaſi ſcilicet captiuus reuerſus nunquam in captiuitate fuiſſet, ſ. 5. I. quib. mod. ius patr. pot. ſolu.*

vnde

vnde omnia iura poſtliminio iterum reſtituebantur, excepta poſſeſſione, quæ de nouo apprehendi debebat, *l. 23. ſ. 1. ff. de acqu. poſſ.*

Vides, duas haſce fictiones ex eo fundamento apud Romanos introductas fuiſſe; quia ſeruitus apud illos ex captiuitate oriebatur, vnde cum hodie contrarium DD. vno ore aſſerant, dictis fictionibus non amplius indigemus.

LIB. XLIX. TIT. XVIII.

De Veteranis.

DISTINCTIO I.

Inter Miſſionem *honeſtam*, *cauſſariam* & *ignominioſam*.

De hac diſtinctione vid. *Doctr. ff. de teſtam. mil. ſ. VI.* & *h. tit. ſ. 1.*

Ad Municipalem Et de Incolis.

DISTINCTIO I.

Inter *Ciues*, *Incolas*, & *Forenſes*.

Ciues dicuntur, qui & domicilium ſuum in aliqua ciuitate conſtituerunt, & ius ciuitatis acquiſiuerunt.

Incolæ, qui itidem quidem domicilium ſuum in ciuitate conſtituerunt, ſed tamen ius ciuitatis non acquiſiuerunt.

Forenſes, qui nec domicilium in ciuitate habent, nec in numerum ciuium recepti fuerunt, ſed tamen bona ibi poſſident *A)* immobilia, vid. Meu. *ad ius Lubec. q. 4. num. 1. & 2.*

Vſus in eo conſiſtit. *Ciues* & communionem commerciorum, & connubiorum, & omnium emolumentorum habent, & *ad ſuffragia atque honores in ciuitate admit-*

A) Vel nulla etiam bona poſſident, ſed ad tempus ſolum, ſine conſtitutione domicilii, ibi commorantur. Vid. Avctor. *Doctr. Pand. h. t. ſ. 3.*

mittuntur, quemadmodum etiam onera realia & perſonalia ferre tenentur. *Incolæ* pariter talia onera ferre debent, habent quoque communionem commerciorum & connubiorum, ſed *ad ſuffragia & ad honores non admittuntur*, *v. l. 29. ff. h. t.* cui non obſtat *l. 3. C. de incol.* quia ibi vocabulum *munerum* de muneribus cum dignitate coniunctis intelligendum, illuſtr. Stryk. *in not. ad Lauterb. h. t. verb. obſt. 3.* *Forenſes* denique quamuis hodie, vbi differentia inter peregrinos & ciues ceſſat, *B)* ius commerciorum regulariter quoque habeant, (niſi mores quorundam locorum obſtent,) *ad munera perſonalia tamen non tenentur.* Imo, nec ad omnia realia; niſi quatenus illa ſunt ordinaria, vel ad conſeruationem rerum in ciuitate ſitarum pertinent. Quod ſi ergo v. g. hoſtis aliquis ciuitati exitium minitetur, niſi certam pecuniæ ſummam dederit, tunc forenſis, quia nullas ædes ibi poſſidet, ad contributionem non tenetur. Aliud vero ſi ædes ibi habeat, aut hoſtis fructus agrorum deuaſtare velit, vid. Ziegler. *de iur. maieſt. l. 2. cap. 2. ſ. 68.*

Quæritur, *quemnam ſtatuta obligent?* De *ciuibus* quidem nullum adeſt dubium, ſiue in rem, ſiue in perſonam ſint con- cepta.

B) Sed vide ſupr. *not. Lib. 1. Tit. 5. ad Diſtinct. 4.*

